


64 st.

396
VI 20/62 C

APHORISMORVM MEDICINALIVM,

Cùm Theoricorum; tùm Practicorum, omnibus, quibus secunda valetudo curæ est, apprimè necessariorum,

SECTIONES OCTO,

Quarum priores quinq; Theoricam Medicinæ partem, ut ex Arabum distinctione appellatur, posteriores verò tres Practicam, sic ab ijsdem dictam, complectuntur.

Collectæ Studio & Operâ

LAVRENTII SCHOLZII VRATISL. PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ Doctoris.

VRATISLAVIÆ,
Per Hæredes Iohannis Scharffenbergij.
ANNO

M. D. LXXXIX.

CVM PRIVILEGIO.

WBP Opole



EPISTOLA DEDICATORIA,

AD MAGNIFICVM, AMPLISSIMVM, ET PRVDENTISSIMVM SENATVM INCLYTÆ Silesiorum Reipublicæ Vratislaviensis, Dominos & Patronos suos omni reverentia colendos.

CVM EA BONA, quibus DEVS optimus maximus mortalium genus amplissimè auctum, cohonestatumq; voluit, mecum ipse considero; in eam sententiam facilè adducor, ut præclarius magnificentiusq; nullum, quàm Medicinam, Artem omnium, quas humana

 eruit

eruit induſtria, ſaluberrimam, reperiri poſſe exiſtimem. A reliquis enim externa utplurimùm fortunæ ſubſidia petuntur: ab hoc verò ipſa ſanitas, qua nihil homini utilius, aut ſuavius in hac ærumnarum valle contingere poteſt, ac ſine qua, ut Orpheus in hymno ſuo cecinit, cuncta hominibus inutilia ſunt, cuiq; Plato primum inter bona humana locum tribuit, dependet. Cùm itaq; ſacratiſsimæ artis Medicinæ tanta dignitas ſit, atq; utilitas: præclarè mihi de mortalium cõmodis, qui in hac augenda atq; illuſtranda, omnes ingenij ſui nervos intenderunt, promeriti eſſe videntur. Decet enim animum liberaliter à natura, & doctrina inſtitutum, virtutemq; ac decus amantem, aliquid opis communi hominum ſocietati conferre, nec de propria magis, quàm de publica

publica utilitate ſollicitum eſſe. Quod cùm ita ſit: ut pro mea etiam parte Medicinam, artem noſtram præclariſsimam, exornarem; ſententias iſtas Aphoriſticas; quæ hactenus hinc indè ſparſæ legebantur, ac veluti diſiectæ naufragij tabulæ, ex totidem libris, quot earum autores ſunt, non ſine gravi lectoris moleſtia, petendæ erant; in unum quaſi corpus contractas, unicoq; libello, dilucida brevitate conſpicuo, pulchro ordine, & iuſta ſerie, ut univerſæ ſimul ſtudioſorum oculis ſubijcerentur, compræhenſas, in lucem edendas, honeſta, opinor, ſententia ſtatui. Etſi enim haſce octo Aphoriſmorum Medicinalium ſectiones, in illo otio meo, quod mihi ex Italia ante decennium reverſo, in Patria, antequàm pluribus in ea innoteſcerem, concedebatur, non in eum fi-

 nem, ut

nem, ut aliquando in publicum emitterem; sed in privatum potiùs usùm meum collegeram: tamen cùm viderem amicos nonnullos has non solùm approbare: verumetiam apud me instare, ut eas ad provehendos studiosorum conatus, typis describendas darem; necp; tàm commodam de rebus mortalium benè merendi occâsionem è manibus amitterem; ut æquissimis postulatis eorum, qui id à me efflagitabant, gratificarer, has diutiùs apud me supprimere nolui. Aggressus autem sum hoc, quicquid est laboris, eò alacriùs, quod certò mihi persuasum haberem, fore, ut consilium hoc meum, quod à me non alio fine, quàm ut ipse quoq; in communem vitæ usum, aliquid posteritati conferrem, susceptum est, à plurimis approbaretur. Quantum verò hi Aphorismi lecto-

mi lectoribus profuturi sint, ex ipso potiùs eventu, quàm magno meorum verborum encomio, posteris innotescere cupio. Si qui tamen erunt, qui hæc nostra imperfecta esse iudicaverint, eos propter publicam rei Medicinæ studiosorum utilitatem peramanter rogatos volo, ut his meliora, commodioriq; ordine, ut lectioni & memoriæ maius lumen accedat, disposita, posteritati communicent. Quòd si fecerint, magnã non solùm illis gratiam habiturus, minimeq; gloriæ ipsorum inviturus; verùm grata commemoratione laudes eorum amplificaturus sum. Et hæc de consilio & instituto nostro dicta sufficiant. Cur autem hasce conatus mei primitias honoratissimi nominis vestri splendore, vestroq; patrocinio tectas, in publicum prodire voluerim, Nobilissimi, amplis-

ampliſsimi, & prudentiſsimi Viri, *CONSVLES ET SENATORES*, Domini ac Patroni mihi plurimùm obſervandi; non ſolùm ob eximias, ſummopereq; admirandas animorum veſtrorum dotes, inſignem nimirùm pietatem, ſingularem prudentiam, incredibilem humanitatem, admirabilem induſtriam, ac plurimarum rerum uſum: verum etiam ob ſingularem veſtrum erga me amorem, multiplicem benevolentiam, ac innumera veſtra erga me merita, quæ gratam à me memoriam efflagitant, à me factum eſt. Licet autem exiguum iſtud munuſculum veſtris in me animis nequaquàm par eſſe; ſed longè maius vobis deberi, verè ſtatuam: tamen fretus ſingulari veſtra humanitate, ac propenſa in ſtudia honeſta vo-

neſta voluntate, quam radicem eſſe iudico, ex qua uberrimi, lætiſsimiq; aliarum virtutum fructus, proveniunt, in eam ſpem adducor, fore, ut hoc chartaceum munus, mei erga vos officij, ſtudij, & obſervantiæ monumentum ſempiternum, hilari fronte ſuſcipiatis, boni conſulatis, ac me, meaq; ſtudia, voluntate benefica, ſicut hactenus à vobis factum eſt, in poſterum quoq; complectamini. Sed cùm veſtra ſponte hoc facturos eſſe non dubitem, me pluribus verbis hoc à vobis petere, prorſus ſupervacaneum eſſe iudico. Quod ſupereſt, DEVM ter maximum, ut vos in plurimos annos ſalvos & incolumes conſervet, & omnia conſilia, deliberationes, ac labores veſtros, quos ſingulari prudentia pro Reipublicæ gubernatione ſuſcipitis, benignè fortunet, faciatq; ut veſtra gu-

 bernatio

bernatio felix sit, tranquilla, & salutaris, ardentibus votis oro. Sed ne longior sim, benè valeatis mihi colendi *PATRIÆ PATRES*, bonorum omnium, doctorumq; inprimis Patroni optimi, & vivatis quàm felicissimè, diutissimèq; incolumes, Reipublicæ, amicis, ac vestris omnibus, meq;, nominis vestri observantissimum, solita benevolentia prosequi pergatis. VRATISLAVIÆ, die Dominica Palmarum. Anno à partu virgineo 1589.

Vestræ Amplis.
Prud. addictissimus,

LAVRENTIVS SCHOLZIVS,
Medicinæ Doctor.

IN APHORISMOS VIRI CLARISSIMI Domini LAVRENTII SCHOLZII, Medici, & Philosophi præstantissimi.

EPIGRAMMA.

QVi varias lustrat discendi ardore tabernas
Hic parvo magnas ære emat hospes opes.
Nil hîc plebeium aut scriptorum è fæce petitum,
Nil quod non usus, quod ratio ipsa probet.
Tot gemmæ, quot verba libris excerpta sophorũ,
Magnaq; sub quavis voce medulla latet.
Huc fœcundus Arabs, methodiq; Magister Iberus,
Celta huc divitias, huc tulit Auso suas.
Salve apis Elysia & plures è divite cella
Ingenij profer, quas veneremur, opes.
Nam quam das alijs, SCHOLZI clarissime, vitã,
Ingenij spondent hanc monumenta tibi.

NICOLAVS RHEDINGER
à Strisa, Musis invitis F.

ALIVD.

ALIVD.

LEmmata seu te Coá iuvant: seu turgida magni
Tibi vena Claudii placet.
Sive Arabum Princeps Avenzoar: aut Aboallys.
Maiore utroq; Avenroës,
Forte tuum ad gustum faciunt, lentamq; salivã:
O care Phœbo prolyta:
Huc celeres confer gressus: SCHOLZIq; libellum
Politulum, limatulum.
Hauri avidis præceps oculis: atq; aurea in imo
Præcepta conde pectore. (quicquid
Quicquid Arabs; quicquid florentia Pergama:
Schola Coá scivit; aut sciet:
Omne brevi strinxit calamo Podalirius iste,
Silesii decor soli.
Cui nisi de priva tribuisset nomina fronde
Apollo: Lauri consitor:
Ipse suos titulos illi nomenq; fuisset
Largitus AEsculapius.
O felix mea Bresla? tuum hunc complectere
Meritisq; macta honoribus. (fœtum:
Nam superat iubar hoc, iubara illa antiqua, Ga-
Hippocraten, Avenroëm: (lenum,
Quosq; DEVM numero veteres habuêre Poëtæ:
Apollinem, AEsculapium.

Aut si forsan idem sunt, SCHOLZIVS atq; Ga-
Hippocrates, Avenroës: (lenus
Quosq; DEVM numero veteres habuêre Poëtæ:
Apollo & AEsculapius.
Carnem atq; ossa istos dicam, pellemq;: sed illum
Succum, medullam, sanguinem.

Joh. Matth. wacker,
I. C. Constantinus.

ALIVD.

QValiter extractam per multa volumina litem,
Cùm pars quaq; preces clausit anhela suas,
Prætor amans æqui dirimit sermone rotundo,
Promit & ad veri vix tria verba fidem:
Non secus in vastis quæ Pæonis arte politi
Adversum morbos disseruêre libris,
Illa brevi forma complecteris, orbaq; fruge
Vel minus ex usu firma, tacenda putas.
Scriptores varij coiêre volumen in arctum;
Quaq; libri grandis pagina semen habet.
Sudasti spissum, Prætori docte, laborem.
Sed grave Mnemosyne lenijt acris opus.

Atropos

Atropos hoc igitur cùm fortè videret, apertam
Sic nutu bilem significante refert:
Longa quod ars, rapidæ sed sit brevis orbita vitæ,
Publica communi sorte querela gemit.
Vt brevis ars contrà, sed longa sit orbita vitæ,
Autor hic excellens Pæonis arte facit.
Bilis agat Parcam. Tibi laus det præmia Lauri,
Cuius, amant Artes, fraus necis horret, opem.

GEORG. TILENI,
V. I. D. Illustriss. Ducis
Monsterbergen.
à Consilijs.

ALIVD.

INventum Medicina Dei est; Qui condidit artem,
Arti etiam præstò est, & iuvat artis opus.
Sed studijs opus est. Nam qui sine lege medentur,
AEgris triste malum, probra sibiq; creant.
Olim igitur natos artem docuêre parentes,
Græcia cum docta Pallade fœta fuit.
Nec schola longa fuit: Rebus sententia prægnans,
Contraxit brevibus dogmata certa modis.
Arcta quidem ratio est. At si benè vertis ad usum,
Panditur in curas area lata tuas.
Nec malè procedit, qui nunc quoq; prisca reperta
Colligit, inq; operis servat alitq; suis
Nullius ille dabit vitæ per pharmaca damnum,
Quicquid agat, morbi dum grave solvit onus.
Eÿciet multas affecto corpore pestes,
Prælia cumq; fera Morte secunda geret.
Nam DEVS ingenio Medici succurrit, & Arti,
Cùm fit, quod fieri cum ratione decet.
Sic labor est felix, sic experientia crescit
Assiduè, multis fertq; salutis opem.
Præstat idem studio quoniam LAVRENTIVS acri,
Quis lauri dignum fronde virēte neget? Patria fortè negans dicet; Mea membra tuentis
Condecorant melius quernea serta caput.

M. Nicolaus Steinberg Vr.
Scholæ Vratislav.
Rector.

ALIVD.

ALIVD.

Est aliquid ſævos dextra proſtraſſe Leones,
Et valida tauros perdomuiſſe manu.
Sed morbos domuiſſe; ipſiq; reſiſtere Morti;
Et fati celeres ſiſtere poſſe gradus;
Hoc opus hic labor est; nempe iſtæc gloria paucis
Contigit; aut ſi cui? contigit iſta tibi.

DANIEL ENGELHARD in Coroſcavv.

CLARISSIMO VIRO, D. LAVRENTIO SCHOLZIO, Medicinæ & Philoſophiæ Doctori eximio,

S. P. D.

MARTINVS VVEINDRICH VR.

DE APHORISmorum συλλογῇ, quos ex optimis Medicorum commentarijs hinc inde diſperſos, in hoc libello nobis reponis, quæris quid mihi videatur: opera est, quantum ego iudicare poſſum, te inprimis digna, quæq; varietatem in legendo, laborem, ac prudentiam in colligendo, iudicium in diſponendo, pietatem ve-

tem verò in iuvandis alienis miſerijs apertiſſimè indicat. Sententiæ ipſæ graves, maturæ, quæ rem & uſum habent, nihil hîc vulgare, aut ignobile, ex ſapientum hortis omnia, ipſumq; conſilium tuum & exemplo potes, & ratione tueri: Nam autorem habes inter Medicos antiquiſsimum Hippocratem, qui artem veſtram ſententijs talibus non paucis locupletiſſimè nobilitavit: Græcos deinde Medicos alios videmus, poſtea Arabes, deniq; latinos etiam in hoc genere multùm laboraſſe, ut legiſlatorum reſponſa, decreta, ſenatuſconſulta, Ethicorum & ſeptem ſapientum gnomas, theologorum oracula, anthologias, polyan-

lyantheas planè prætream. Quid in parva arte aliud Galenus egit? Quid Avicenna in canticis, & Rabbi Moſes, ac Damaſcenus? E noſtris hominibus Arnoldus, Alexander Benedictus, Otto Brunsfeldius, & qui hos omnes diligentia ſuperaſſe videtur, in locupletiſsimo illo Galenicarum ſententiarum indice conficiendo, Antonius Muſa Braſſavolus, & complures etiam alij: Nam cùm duo omninò docendi genera eſſe ſapientes illi animadvertiſſent, unũ diffuſum & diexodicum. Alterum Aphoriſticum, præciſum, & definitum, ſummaq; brevitate circumſcriptum, & κατὰ συνοψιν, ex his duobus prius illud in philoſophan-

 do, &

do, & veritate inquirenda, Alterum ad memoriæ ſubſidium adhibuerunt, quæ ut cuſtos eſt eorum, quæ diſcuntur, ita infinitas illas res in ambitu ſcientiarum (cùm & finitum infiniti capax non ſit, & prolixitas ingeniũ perturbet) vix admittit, niſi multa in pauca, quaſi in carmen incluſa, rediganturErgo copioſarum præceptionum ſummas quaſdam ſententias, ac velut concluſiones, quales ſunt in omnibus artibus, detrahentes quædam, conſtituerunt, quæ à toto corpore avulſæ ſeminis inſtar, mole quidem minimi, ſed virtute maximi, ſi quis hoc agat, ad multa revocari, & diduci rurſus poſſint, ſicut multa quæ ſunt ad pauciora,

è quibus

è quibus cætera pullulant redigi. Eas porrò ſententias, ſi ſoli contẽplationi ſervirent, theoremata appellabant, qualia ſunt, Corporis ſimplicis ſimplex motus: Infinitũ plus uno eſſe non poteſt: Figura rotunda perfectiſſima: ſin verò ad actionem facerẽt, practicas ſententias, ut, Turpe, neſcire, quid liceat ſibi. Qui mortalis eſt, immortalem iram non gerat. Sera omnis vita craſtina. Id utrumq; enunciationum genus vel rationem habet additam, ſi res dubia ſit, vel non habet, ſi per ſe manifeſta. Univerſas autem vel ſub ænigmate, ut Pythagorici, vel apophthegmate, vel parabola, aut deniq; legis ac decreti autoritate enuncia-

 bant,

bant, ut quatuor earum formæ essent: Placuêre alijs aliæ. Medicorum sententijs Aphorismi nomen Hippocrates imposuit, maximus proprietatum in rebus nominandis affectator: sunt autem non floscu-li quidam tantùm, sed ipsa artis summa capita paucis expressa, nulla verborũ frequentia munita, quæ in iudicando lucem, in agendo viam præmonstrant, magnumq; ad omnem artis exercitationem subsidium habent, quod & tu, Vir clarissime, frequenti artis exercitatione obseruas quotidiè, & artifices huius generis alij aliorum in periculis quotidiè experiuntur, maximè, si ut hæ ipsæ sunt, sententiæ veræ sint, receptæ, rationi ac experi-

ac experientiæ consentaneæ, si è turba selectæ, ac quasi ab excrementis communium opinionum repurgatæ, quod ipsum vox Aphorismi videtur innuere, & sit, qui eas non tantùm meminerit, sed sciat etiam commodè utendo suas facere: Neq; enim stolidum usurpatorem, & qui non, nisi ad unum, possit respicere, desiderant: Quòd si quis hoc in istis sententijs vituperet, dicatq;, perpaucas è tanto esse numero, quæ universaliter, ac sine exceptione efferri possint, aut contradictione non destruantur, fatebor id primùm, cùm vetus sit, semper cum periculo aliquid de toto affirmari posse, & ipsi etiam verissimè Philosophi pronuncia-

 rint,

rint, difficilimum esse, universale quippiam constituere. In Medicorum verò principijs ob subiecti, & rerum circa quas versantur naturam mutabilem, minus etiam Mathematica illa certitudo postulanda est. Illud tamen addendum, iniquum & sophisticum esse, aphorismi vel definitionis etiam alicuius veritatem uno aliquo exẽplo abhorrente, sed rarò, superbè elevare velle: Quid enim? Vixit Augustus edentulus ad annum usq; septuagesimum. Malè igitur dixerit Aristoteles, Raros dentes brevitatem vitæ indicare? Nihil minus, ut nec illud, Mares in dextro gestari, in sinistro fœminas. Ferrum quoddam est, ut & orichalcum,

chalcum, de quo Scaliger, quod nullo igni liquefieri possit: An ob id falsa ilicò definitio fuerit: Metallum corpus esse fossile, durum, quod ab igne liquescere & metalleo dilatari possit? Nihil iniquius: Ergò ut hæc de ijs tantum metallis intelligi debent, quæ sub terra, non in nubibus nata sunt, & nasci plerunq; ac secundum naturam solent. Ita satis opinor fuerit decantatas illas artium & scientiarum sententias, si non in universum, saltem magna ex parte, & ἐπὶ τὸ πολὺ veras esse, non de omni, & loco, & tempore, & corpore, estq; prudẽtiæ videre, quousq; quæ dicuntur, singula se possint extendere. Aut igitur ita accipiendi

aphorismi medici, aut non hi soli, sed mille alij etiã ex Philosophia eijciendi. Autores autem, quòd taces, parùm refert: Quid enim interest, quis dixerit? Verùm à quocunq; dictum sit, verum est, & falsum similiter. Legã igitur hæc, & legent alij, tibiq; pro voluntate optima iuvandi bonum publicũ, & libri istius, cuius vitæ & necis potestatem habebas, hoc est, edendi, vel supprimendi, communicatione gratiam se tibi debere ingenuè profitebuntur: Vale vir Doctissime, & tuam pristinam mihi & meis, qui te merito tuo & columus & observamus, benevolentiam conserva. Dab. ex Musæo meo: Pridie Paschat: ANNO M. D. L. XXXIX.

OCTO APHORISMORVM MEDICINALIVM INDEX.

I. Complectitur prolegomena, & agit:

1. *De Medicinæ præstantia. folio 1.*
2. *De Medico atq; eius officio. 1.*
3. *De Aegroto. 3.*
4. *De Sanitate. 4.*
5. *De Consuetudine. 5.*

II. Primam Theoricæ Medicinæ partem, utpote: φυσιολογικὴν, & agit:

1. *De Elementis. 6.*
2. *De Temperamentis. 7.*
3. *De Saporibus. 8.*
4. *De Humoribus. 9.*
5. *De membris sive partibus Corporis. 10.*
6. *De Calido innato, & humido radicali. 11.*

7. De

7. De virtutibus seu facultatibus. 13.
8. De Operationibus, seu functionibus. 13.
9. De generatione fœtus, atq; humano semine. 14.
10. De Coitu. 17.

III. Secundum, nempe ὑγιεινὴν, & agit de rebus non naturalibus, ac:

1. De Aëre. 19.
2. De partibus anni. 19.
3. De Motu & Quiete. 20.
4. De Exercitio. 20.
5. De Somno & vigilijs. 22.
6. De repletione & inanitione. 23.
7. De Phlebotomia. 24.
8. De ventosis. 34.
9. De Sanguisugis. 36.
10. De Excrementis. 37.
11. De Vrinis. 39.
12 De Sudoribus. 43.
13. De Balneis. 44.
14. De Frictionibus. 49.
15. De animi affectibus. 49.

IIII. Tertiam, videlicet: παθολογικὴν, & agit de rebus præter naturam:

1. De causa morbi. 50.
2. De Morbo. 52.
3. De Symptomate. 56.

V. Quartam, nempe: σημειωτικὴν, sive προγνωστικὴν, & loquitur de signorum observatione, ac quidē:

1. De Prognostico. 57.
2. De Crisibus. 75.
3. De diebus Criticis. 79.
4. De Pulsibus. 81.

VI. Primam practicæ Medicinæ partem, nempe: διαιτητικὴν, & agit:

3. De Victu. 82.
2. De regimine puerorum. 88.
3. De regimine senum. 89.
4. De vario genere ciborum & potus. 90.
5. De regiminis mutatione secundum quadrifa-

drifariam temporum anni diversitatem. 101.
6. De Confortantibus. 103.

VII. Secundam partem, videlicet φαρμακευτικὴν, & loquitur:

1. De Medicamentis. 104.
2. De Tempore & modo exhibendi Medicinas. 109.
3. De Quantitate Medicamentorum. 110.
4. De Purgatione. 110.
5. De Curatione in genere. 135.
6. De morbis indeterminatis, sive totius, ac primùm de febribus. 178.
7. De febribus Pestilentibus, seu de Peste absolutè. 202.
8. De Venenis. 206.
9. De Dolore. 207.
10. De doloribus Arthriticis. 210.
11. De morbis internis, ac primò supremi ventris sive capitis. 214.
12. De morbis medij ventris, nempe: de Thoracis & Pulmonum affectibus. 241.
13. De morbis infimi ventris. 253.
14. De morbis Mulierum. 277.
15. De morbis Puerorum. 289

VIII. Tertiam partem, utpote: χειρουργικὴν, & agit:

1. De Vulnere. 291.
2. De Vlcere. 294.
3. De inflammatione. 300.
4. De Apostematibus. 300.
5. De articulorum luxationibus, & fracturis. 304.
6. De Cutis vitijs. 306.

CICERO lib. 2.

Officiorum:

VAletudo sustentatur noticia sui corporis, & observatione earum rerum, quæ res aut prodesse soleant, aut obesse, & continentia in victu omni, atq; cultu corporis tuendi causa, & prætermittendis voluptatibus, postremò arte eorum, quorum ad scientiam hæc pertinent.

APHO-

APHORISMORVM MEDICINALIVM SECTIO PRIMA.

I.

De Medicinæ præstantia.

MEDICINA diuinitus data est, non ut homines à morte, & constituto vitæ termino omninò liberet; sed ut corpus à corruptione, & festina dissolutione præservet. 1.

Vt alimenta sanis corporibus agricultura: sic sanitatem ægris Medicina promittit. 2.

II.

De Medico, atq; eius officio.

Quæ natura salubriter & probè operatur, ea Medicum imitari oportet. 3.

Non satis est Medicum suum fecisse officium, nisi suum quoq; ægrotus, suum astantes faciant, sintq; externa ritè comparata. 4.

Oportet ægrotantibus perpetuò, etiamsi ipse desperes, salutem polliceri, neq; vel deploratos animum devovere unquam permittere. Temperatura enim corporis animi affectibus semper cohæret. 5.

6. Decet Medicum ægri consuetudinem cognoscere in sanitate, ut cùm res ipsi sano placentes agnoverit, ei illas promittat. cùm ab ægritudine correptus fuerit.

7. Nulli Medico, quantumvis docto, credendum, nisi usu artis perito.

8. Tutius est ijs uti, quibus nullus error accidere potest, quàm ijs quorum effectus adhuc nobis perspectus non est.

9. Qui, quo morbum levet, nihil prætermittit, & secundum artem omnia gerit, probi Medici officium fecit, etiamsi non omnia semper respondeant. Neq; enim orator semper persuadet; tamen ubi, quod artis suæ est, fecerit, oratoris munus explevit.

10. Periti & perfecti Medici officium est, ut iucundè, tutò, ac celeriter curet. Nimia tamen festinatio sæpenumerò periculosa, & consilio certo contraria esse solet. Quapropter in mora etiam, quæ curationis securitatem quandam præ se ferat, nonnunquam peccandum est.

11. Prudentis Medici est, eorum corporum curam renuere, unde facilè infamiam incurrere potest, ut infantum, prægnantium, oculorum ægritudinum, & lapillo laborantium.

12. Discordantium Medicorum turba ægrotantes multos ducit ad interitum. Mutua verò ipsorum convenientia quamplurimos ad sanitatem reducit.

Plus

Plus mali à Medico, quàm à morbo est, si vel imperitia, vel audacia peccet. 13.

Potentum & delicatorum inobedientia, ac inopum penuria, sæpenumerò Medicos à rectè agendis distrahunt. 14.

Vnum hoc Medicus rectè agit, quod rectè cognoscit. 15.

Parcitas in laxando, ac in reficiendo liberalitas, duo sunt quæ Medicum sæpè à detractatorum calumnijs liberum reddunt. 16.

In gravissimis periculis, acrebus propè desperatis, satius est anceps auxilium experiri, quàm nullum. 17.

In quibus desperata omninò salus est, imprudentis consilij fuerit, apud vulgus infamare præsidia, quæ multis saluti fuêre. 18.

Omnis cognitio est per causas, Medicus igitur causarum imperitus, minimè verus Medicus censendus. 19.

Prudentis Medici est, insanabiles morbos curandos non suscipere, ne eum qui sorte sua interiturus erat, occidisse existimetur. 20.

III.

De Aegroto.

Præcepta Medicorum spernentes, si in morbum aliquem inciderint, non ob Medicorum culpam: sed suimet errorem, languorem suscipiunt. 21.

22. Bona persuasio ægri de Medico plurimùm adiuvat, modò non sit stulta, & ex vulgi opinione pendeat.

23. AEgrotus Medicum, fidelem, & expertum eligat. & eius opera diu utatur. Minus enim hic errare, quàm novus poterit. Aeger qui plurimos consulit Medicos, plerunq; in singulorum errorem cadit.

24. Spes convalescentiæ, ac constans ægri de Medico fiducia, plurimum ad sanitatem amissam recuperandam conducunt.

25. Præstat Medicum adire antequam morbus invalescat, quàm tunc vocare, cum naturam prostraverit ægritudo.

26. Vt is aquam à vicinis frustra sibi porrigi petit, cuius tota domus iam igne succenditur: ita infirmus à Medicis frustra auxilium petit, cuius virtus à morbo iam prostrata est.

27. Vt semel admissum intrò hostem non facilè expellas; ita morbum tra sponte receptum, non poteris cum voles depellere.

28. Multæ ægritudines sua natura sanabiles, ægri negligentia & errore, consilio Medicorum saluberrima respuentis, fiunt incurabiles.

29. Satius est morbo ingruenti occurrere, quàm invalescenti cum periculo mederi.

IIII.

De Sanitate.

Caven-

Cavendum ne in secunda valetudine adversæ præludia contemnantur. 30.

Sanum æstimandum est corpus, vel membrum, cuius actiones sunt sanæ. 31.

Sanitatis tuitio magna est, ea, quæ opinione saltem prodesse videntur, revera nocent, fugere. 32.

Tempus observandum, neq; quæ in præsentia suavia videntur, dum in posterum noceant, suavia ducenda. 33.

Cùm utplurimum animi in corpus, & corporis in animum redundet infirmitas; sine animo corpus, nec sine corpore animus bene valere potest. 34.

Tria saluberrima: non repleri nimium, exerceri absq; defatigatione, ac genitale semen continere. 35.

V.

De Consuetudine.

Consuetudo non facilè mutanda est. 36.

Cùm natura non sustineat repentinas mutationes, mala consuetudo in posterum nociva, paulatim mutanda est in melius. 37.

Consueta minus lædunt si sensim assuescas, subitæ autem mutationes omnes periculosæ. 38.

Consueta longo tempore, etiamsi deteriora sint, insuetis minus molesta solent esse. Quare ad insolita quoq; facienda mutatio. 39.

30. *Moderata diuturna sunt. Immoderatis omnibus brevis ætas.*

APHORISMORVM MEDICINALIVM, SECTIO SECVNDA.

I.

De Elementis.

1. *QVodlibet Elementum ex primis qualitatibus duas in se continet, unam in summo gradu, & alteram in remisso.*

2. *Aqua etsi propter sui densitatem ipso aëre extrinsecus corpora magis humectet: Aër tamen ab extraneis exiccantibus seiunctus, propter sui raritatem intrinsecus magis humectat.*

3. *Omnia minoralia, vegetabilia, & viventia fiunt ex quatuor elementis, quibus diuersimodè mixtis variæ generatorum species hinc inde causantur.*

4. *Elementorum, ex quibus omnia fiunt, mutuò inter se pugnantium contrarietas, causa est, & principium, & necessitas interitus hominis & cæterorum viventium.*

5. *Ex quibus præconstitutum est quodlibet, in*

illa cedit si dissolvatur. Hanc ob rem dissoluta corpora in prima elementa redeunt.

II.

De Temperamentis.

6. *Ex mutua actione & passione qualitatum Elementorum, resultat in omnibus una qualitas secunda, quæ dicitur complexio.*

7. *Qui in corpore, vel ipsis membris alicui animalium similatur, illius animalis mores naturaliter sequitur. Ob id nasos aquilinos habentes. prædatores, & magnanimos: Habentes verò caninos, latratores & invidos sæpè videmus.*

8. *Aquilæ & Lynces, quanquam visu homines præcellant, Vultures & Canes odoratu, Talpæ & Apri auditu, Araneæ tactu, & gustu Simiæ: nihilominus tamen perfectiores sunt operationes in corpore humano, eoq; temperato, ad quod corpus ipsum finaliter ordinatur, quàm in prædictis animalibus, corporibusq; distemperatis.*

9. *Regionum, ætatis, & regiminis diversitas, in hominibus variam arguit complexionem. Ad aëris igitur, regiminis, ac ætatis, naturam hominis, mores, & corpus sæpè mutari verisimile est.*

10. *Cùm calidi sit dilatare, ac frigidi constringere; cuius venæ amplæ erunt, naturæ calidæ, cuius verò strictæ, frigidæ esse rationi cõsentaneum est.*

11. *Atram bilem exuperantem sequitur fatuitas, animi demissio, & sine ratione tristitia.*

12. *Pilorum in capite multitudo, vel nigredo ipsorum, complexionis in eo arguit caliditatem. Ipsius autem calvities, siccitatem designat.*

13. *Homo ut primo die est calidissimus: ita novissimo est frigidissimus.*

III.

De Saporibus.

14. *Dulce plus omni alio sapore humanæ complexioni vicinius existit, atq; longè cæteris digestionem iuvat, & corpora nutrit.*

15. *Amarum omnibus animalibus, & plantis inimicatur, incidit, abstergit, resolvit, & præservat à putrefactione, hac de re non ut cibo; sed ut medicina amaris utendum est.*

16. *Salsus sapor dissolvit, subtiliat, aggregat, calefacit, mordicat, exiccatq; humiditates, & putredines prohibet.*

17. *Res acutæ corporibus humanis præ cæteris saporibus adversantur. Corrodunt enim, incendunt, nec modò os stomachi lædunt; sed etiam*

etiam totum corpus. Pituitosis tamen medicinæ gratia interdum conveniunt.

Vnctuosa stomachum mollificant, pituitam 18.
adaugent, oppilant, hebetem cogitationem reddunt, somnum provocant, & satietatem plus æquo afferunt.

Insipida incrassant, infrigidant, aggregãt, 19.
& oppilant.

Acetosa infrigidant, desiccant, incidunt, 20.
subtiliant, penetrant, aperiunt, abstergunt, & mundificant. Membris nocent nervosis, seniumq; accelerant. ac stomachum ac intestina, si munda fuerint, constringunt.

Aceti & acetosorum usus improbatur, ubi 21.
adest siccitas aliqua, aut dolor, aut vigiliæ, aut inflammatio, aut ulcus.

Styptica infrigidant, desiccant, crebro usu 22.
stomachum roborant, alvum constringunt, & meatus coarctant.

Mulieribus longè magis, quàm viris ad- 23.
versatur acetum, utpote, quod uterum dolore cruciet.

IIII.

De Humoribus.

Vt Sol ex eodem solo, eodemq; tempore 24.
varia producit vegetabilia: sic nativus calor iecoris ex massa chymosa, propter partium ipsius dissimilitudinem diversos gignit humores.

25. *Humorum puritas homines hilariores reddit, ipsorum autem crassities atq; turbulentia tristiores, melancholicosq; facit.*

26. *Quales sunt corporis exteriores colores: tales sunt humores exuperantes ad intra.*

V.

De Membris siue partibus Corporis.

27. *Quælibet corporis pars quatuor in se habet naturales virtutes: attractivam, retentivã, digestivam, & excretivam.*

28. *Vt magneti vis inest à natura, qua ferrum trahere potest: sic quælibet animalis particula suum ad se natura trahit alimentum, attractum retinet, retentum in suam transmutat substantiam, & superfluum expellit, indeq; totum corpus suum capit incrementum.*

29. *Principium sensus & motus cerebrum est, Cor vitæ, iecur nutritionis, & seminaria vasa generationis.*

30. *Arteriarum, spirituumq; origo cor est, venarum iecur, nervorum verò & medullæ spinæ dorsi cerebrum.*

31. *Vt nervi à cerebro & nucha oriuntur: sic chordæ à musculis, & ligamenta ab ossibus originem suam ducunt.*

Vt in

Vt in ventriculo cordis dextro vitalis san- 32.
guis resultat, & in sinistro spiritus: ita in anteriori cerebri cellula sensus communis & phantasia vigent, in media autem ratio, & in posteriori memoria, ut Arabes tradiderunt.

Iecur ex ventriculo per mesenterij venas, 33.
veluti arbores è terra per radices, cibum sive succum ad se trahit.

Quibus cutis mollis & rara est, ab extrin- 34.
secis ingruentibus malis facilè læduntur. Quibus verò dura densaq;, ab internis citiùs: Ob id raritas corporis ijs, quibus plurimum ex alimento per transpiracula aufertur, salubrior; quibus verò minus, insalubrior.

Omnia ossa, solis dentibus exceptis, medul- 35.
lam habent.

VI.

De Calido innato, & humido radicali.

Nativa caliditas humido moderato gau- 36.
det.

Nativo calore corpora hyeme sunt calidi- 37.
ora, & extraneo frigidiora. Aestate autem acquisito calidiora, & innato frigidiora.

Corpora rariora, quantò velociorem susci- 38.
piunt impressionem: tantò velocius calefiunt atq; frigescunt, & contra.

Vt à

39. *Vt à lucernæ elychnio oleo madefacto ipsius flamma nutritur: sic cor similitudinis ratione elychnio haud dissimile sanguine olei officio fungente calorem fovet vitalem.*

40. *Quemadmodum oleo humidoq; elychnij igne consumptis lucernæ flammam extingui necesse est, sic humido radicali à nativo calore exhausto aura vitalis à corde illicò discedit.*

41. *Vt lucernæ flamma ebibit continuò id, quod sibi infunditur, ut seipsam conservet; sic calor naturalis, qui in nobis est, nativum humorem consumit incessanter, quo prorsus resoluto, accedit mors naturalis.*

42. *Vt varijs casibus lucernæ flammam extingui sæpenumerò contingit; sic in multis ante statutam à natura periodum diversis accidentibus spiritus evanescit.*

43. *Virtus vitalis à corde per arterias in totum corpus effluens, omnia membra vegetat. Naturalis à iecore per venas in omnes corporis partes diffusa, integrum corpus nutrit. Animalis verò per nervos in omnem corporis sedem erumpens universa ipsius organa movet, ac sensitiva reddit.*

44. *In confesso est omnibus Medicis rationalem animæ vim in cerebro sitam esse, vitalem atq; irascibilem in corde, concupiscibilem verò in iecore.*

45. *Humidum nativum, membris radicalibus imbibitum,*

imbibitum, in quo vita vehitur, restaurari non potest: sed per appositionem humidi nutrimentalis impediri, ne citius, quàm oportet, consumatur.

VII.

De Virtutibus seu Facultatibus.

Quibus qualitatibus naturales virtutes operantur, ijsdem aut sibisimilibus servantur aut roborantur. 46.

VIII.

De Functionibus seu Operationibus.

Sensorium tactus crassius sensorio gustus est, gustus verò crassius visifico, Visus autem auditu crassius. Auditus cætera tenuitate præcellit. Olfaciendi verò illorum quatuor in crassitudine occupat medium. 47.

Sensus Visus splendorem sentit & lumen, 48. *Auditus aèrem, Olfactus fumum, Gustus substãtiam humidam, Tactus verò duram.*

Talis est hominis sensus, qualis est spiritus. Spiritus autem talis, qualis est ipsius sanguis. 49.

IX. De

IX.

De generatione fœtus, & semine humano.

50. *Cùm animantium genus in individuo conservari non posset, unumquodq; sibi simile, ut in specie conservaretur, generare necesse habuit.*

51. *Sicut ad annum usq; sexagesimum quintũ vir generare potest: sic quadragesimus quintus fœminis utplurimùm finis est concipiendi.*

52. *Qui humidiores natura sunt, & plus albi, quàm fusci, & non valdè corpulenti, seminis plus alijs habent. Nec secus quò ad menses, fit etiam in fœminis.*

53. *Si genitale semen ex dextro teste, in cellulam matricis dextram decidat, masculus inde gignitur: si verò à sinistro in sinistram emanavit, tunc fœmella generatur.*

54. *Si semen testis dextri in sinistram ceciderit cellulam, formatur inde virago. At si sinistri in dextram effluat, nascitur effœminatus. In medium interstitium utriusq; sexus formatur hermaphroditus.*

55. *Masculi semen formam præbet, & motus principium, fœminæ verò corpus dat simul & materiam fœtus.*

56. *Quoniam ex sanguine semen genitale proficiscitur, animalia pinguia sæpius sterilia sunt. Nam mu-*

tatur in adipem & sevum, quod debet in sanguinem mutari.

A quo semen copiosius decidit, fœtus ille 57.
assimilatur. Nam prævalet è seminibus duobus, quod potentius & activius fuerit. Si ambo æqua fuerint, figurarum fit mixtio, & sobolis æqualitas.

Quibus patres & avi in sua generatione 58.
iuvenes fuerunt, membra illis principalia fortiora sunt. Contrarijs verò accidunt contraria.

Mulieres supra dextrum latus dormire cõ- 59.
suetæ, rarò pariunt fœminam.

Viri semen ad menstruum se habet, velu- 60.
ti artifex ad suum artificium, & ad lac coagulum.

A quo semen decidit, in se gerit vim illi- 61.
us, unde primum decisum est. Hac de re cholericus gignit cholericum, in cæterisq; similiter.

Quemadmodum semen plantæ, ut inde gi- 62.
gnatur herba, terræ copulari necesse est: sic etiam semen viri, ut fœtus inde gignatur, matrici insinuari debet. Nam quale in plantis terra, tale in animalibus ipsa matrix est.

Conglobatus in utero situatur fœtus, habẽs 63.
nasum inter genua, oculos supra illa, pugnis intermedijs, & aures extra ipsa, talis natibus admotis.

A genitali semine in matrice corrupto no- 64.
cumenta nocumentis retentorum menstruorum accidunt deteriora.

Sperma corruptum, plus æquo in homine 65.
retentum,

retentum, in venenum convertitur, nec solùm spermaticalia vasa inficit: sed etiam totum corpus.

66. Vt virile semen ex rubro sanguine ac puriori genitum, in seminalibus vasis alba eorum substantia albescit: sic sanguinem etiam in veberibus contentum, in ijsdem dealbari contingit. Nam quodlibet contentum colorem continentis suscipit, & ad ipsum declinat & vergit.

67. Sobolem cupientibus sternutatio illicò post coitum, ne semen priùs, quàm paternus humor penetralibus matricis sese insinuavit, expellatur, cavenda est.

68. Decimus à conceptu dies dolore gravidas admonet. Inde capitis inquietudo incipit, & caligine Visus inhebescit. Cibi quoq; fastidium utplurimùm his accidere solet.

69. Si corpusculum in marem figuratur, melior est gravidis color, & uteri pronior eminentia: Concepta autem fœmina vultus pallore inficitur, ac crura quoq; languidiora redduntur.

70. Si salsos cibos frequenter edat gravida, fœtum unguibus carere compertum est.

71. Calida testiculorum crasis maximè Venerea est, & marium generatrix. Frigida verò contrarium operatur.

72. Si nidor fœminarum naturalibus subditus ori respondet, fœcunditatis nota est.

Intentiones

Intentiones rerum conspectarum tempore generationis, efficaces in genitis relinquunt impressiones. 73.

X.

De Coitu.

Vt sint ortus animantium perpetui, in causa est naturalis voluptas, quæ facit vt animantes ad coitum ardentius excitentur. 74.

Cuiuslibet animalis prima seminis emissio infœcunda est, aut si fœcundetur fœtum imbecillum gignet. 75.

Cùm humoribus deorsum ductis, superiora siccari necesse sit: eorum qui nimis concumbunt, oculos, cæterasq; partes superiores non parùm ematiari mirum non est. 76.

Moderatus coitus repletum corpus alleviat, hilarē animū facit, iram mitigat, tollit varias imaginatiões, & à multis malis præservat affectibus. 77.

Immoderatus verò coitus nervis nocet, oculis, stomachoq; plurimùm, alvum insuper siccat & infrigidat, hecticum corpus reddit, viresq; eius prosternit, & senectutem accelerat. 78.

Frequens & nimius coitus masculino sexui magis, quàm fœmineo nocet. In hoc enim masculi plus, quàm fœminæ laborant. 79.

Hyeme & vere plus, quàm cæteris temporibus permittitur coitus. In æstate prohibitus est, & in autumno detestatur. 80.

81. Repletis & inanitis, aut quovis modo superfluè vacuatis, sive exercitatis, coitus adversatur. Repletis tamen & calefactis minus, quàm inanitis, aut frigefactis nocet.

82. A pastu repleti illicò coëuntes, sivè etiam erectè, podagricas passiones incurrunt, aliosq; multos membrorum dolores & passiones.

83. Cùm menstruatis coëuntes ob inferti spiritus aspirationem, raucedini, cancrore, aut lepræ se exponunt.

84. Concubitus neq; nimis concupiscendus, neq; nimis pertimescendus est. Rarus excitat corpus, frequens solvit.

85. Hyeme venus non perniciosa, Vere tutissima. Autumno tollerabilior, quàm æstate, in qua in totum, si fieri potest, ab ea abstinendum est.

86. Quibus venæ secundum aures secantur, coeunt quidem, ac semen emittunt: sed id minimè fœcundum est.

APHORISMORVM MEDICINALIVM, SECTIO TERTIA.

I.

De

De Aëre.

LUcidus nimis & calidus aër, relaxat corpus, frigidus & obscurus constringit. Tēperatus verò oblectat, mulcet & temperat. 1.

Sole exorto & aëre claro syncerog; existente cubiculi fenestras aperito, ut aër crassus, impurus, & fætido ægri, seu hominum halitu infectus, sic emittatur, expellaturq;, & aër clarus puruſq; recipiatur, admittaturq;, ut sic aër cubiculi crassus à Solis radijs attenuetur, eventetur, renoveturq;, & ne maneat suffocatus. 2.

Aër putridus inspiratus, sæpè est causa putrefactionis humorum in corde, etiamsi nulla prohibita adsit transpiratio, eventatioq; Solo enim contactu humores hìc corrumpuntur. Quicquid enim à putrido tangitur, putre fit. 3.

In omni regione venti, qui nubes cogunt, rheumatismos in hominibus gignunt, & sensus aggravant. 4.

Ex tempestatibus optimæ æquales sunt, sive frigidæ, sive calidæ: Pessimæ. quæ variant maximè, quò fit, ut Autumnus plurimos opprimat. 5.

II.

De partibus anni.

6. *Saluberrimum Ver est, deinde ab hoc hyems, Periculosior æstas, Autumnus longè periculosissimus.*

III.
De Motu & Quiete.

7. *Ignavia corpus hebetat, Labor autem firmat. Illa naturam senescentem; hic longam adolescentiam facit.*

8. *Motus omnis calefacit corpora, contra verò quies refrigerat. Hæc calidis, illa frigidis naturis ex usu est.*

9. *Quoquo modo corpus moveatur, simul ac laborare cœpit, quies statim lassitudinem leuat.*

10. *Gestatio longis & inclinatis malis aptissima est, & ijs corporibus, quæ iam ex toto febre carent, sed adhuc exerceri non possunt, & his quibus lentæ morborũ reliquiæ remanent neq; aliter eliduntur.*

IIII.
De Exercitio.

11. *Quotidianis laboribus assueti, etiamsi invalidi sint, aut senes, insueti, quamvis robustis & iuvenibus faciliùs consueta ferunt exercitia.*

12. *Ex calore sudantibus, fatigatis ab itinere, & à balneo exeuntibus, potio frigida est perniciosissima.*

13. *Potentes ante cibum exerceri, diæta certa non egent; qui verò prohibentur propter multa negotia,*

negotia, non modò certa diæta; sed etiam pharmacorum sanativorum usu.

Sicuti exercitium ante cibum factum custodit & conservat sanitatem: ita post cibum quilibet fortis motus huic perniciosissimus est. 14.

Debile debilibus, & forte fortibus convenit exercitium. Relictis tamen extremis medium in omnibus eligendum est. 15.

Crassis cibis utentibus aut multis, fortia conveniunt exercitia. Debilia subtilibus & modicis, & mediocre mediocribus, eiectis prius naturæ communibus excrementis. 16.

Quemadmodum aqua mota non putrescit, & quieta facile corrumpitur: sic exercitata corpora non putrescunt. Otiosa autẽ à parvis læduntur causis, & morbis obnoxia fiunt. Hac de re sanitas exercitio perficitur, otio autem seu quiete languet. 17.

Sanitatem custodire volenti ante pastum moveri necesse est. Exercitia enim ad digerendum, & ad sanitatem tuendam conferunt. 18.

Corpora exercitata inexercitatis saniora, & firmiora sunt, nulloq; indigent pharmaco, vel phlebotomia. 19.

Quemadmodum repletis & impuris corporibus exercitium laboriosum prohibetur: similiter inanitis adversatur & gracilibus. 20.

Per hyemem celeriter ambulandum, æstate conquiescendum est, aut non in sole ambulandum. 21.

Fortissimæ exercitationis finis est frequens & spissa respiratio. 22.

23. *Exercitia fortia ante cibum, fames, sitis, durities stramentorum, vigiliæ, solicitudines, & tenuis diæta concurrens, cum balneo thermarum, corpora nimis crassa celeriter amaciare solent.*

V.

De Somno & Vigilia.

24. *Somnus & vigilia, si modum excesserint, malum.*

25. *Somnus fortis omnes evacuationes cohibet, præterquàm sudorem.*

26. *Somnifera, ubi immodicè somnum provocant, naribus spongiam in aceto madefactam admoveto.*

27. *In somno alborum visio frequens phlegma superabundans denotat: Nigrorum Melancholiam: Igneorum aut citrinorum choleram, & rubrorum sanguinem.*

28. *Corporis dispositiones nobis indicat somnium: Ignem enim accensum quis videns in somnijs, cholera molestatur: si verò humum caliginemve aut profundas viderit tenebras, atra bile affligitur. Pluvia autem visa, frigidam designat excrescere humiditatem. Nix autem & glacies, sive pruina, frigidum phlegma denotant. Tempus tamen in talibus, & etiam diætam assuetam notare decet.*

29. *Qui in sordibus, aut infimo versari somno se existimant, pravis, fœtidis, ac putridis chymis abundant, aut stercore multo. Sed qui se in locis redolen-*

redolentibus voluptuari putant, ij contrarium prædictis habent dispositionem.

Decubitus in dextro latere factus, cæteris 30.
longè præstat modis. Ventriculus enim sic recalescit citiùs, concoquitq; celeriùs, & locum flatibus liberiorem reddit.

Pessimum est, si somnus neq; noctu, neq; in- 31.
terdiu accedit: Id enim sine continuo dolore esse non potest. Æquè verò signum malum est, somno ultra debitum urgeri, peiusq; quò magis interdiu sopor urget.

Somnus superfluus, & vigiliæ nimiæ, caput 32.
& memoriam valdè lædunt.

Propter vigiliam convulsio, aut desipientia 33.
malum.

Si lucubrandum est, non post cibum, sed 34.
post concoctionem id facere oportet.

Immodicis vigilijs tussis intercedens, morti- 35.
tifera est.

VI.

De Repletione & inanitione.

Corporis plethora sanguinis detractione, 36.
balneis, amplioribus exercitijs, ieiunijs, ac frictionibus curatur: Cacochymia verò, propria uniuscuiusq; superabundantium humorũ solutione. Quoniam dyscrasia semper indiget suis contrarijs.

37. *Vt ex multa fame nimia ſaturitas, & ex multa ſaturitate fames damnatur: Sic ex nimio labore ſubitum otium, & ex nimio otio ſubitus labor ſine periculo non eſt.*

38. *Si quis longo tempore, neq; per vomitum, neq; per alvum evacuatus fuerit, & ſubita aliqua horum ingruit evacuatio, cunctanter ſiſtas.*

39. *Calidis aridiſq; complexionibus, natura vel accidente, haud parum officit ieiunium.*

40. *Ieiunium ſenes decrepiti ferunt facilimè: ſecundum hos, qui conſtantem ætatem agunt, minus adoleſcentes, minimè omnium pueri, atq; inter eos maximè, qui acriore ſunt, & vividiore ingenio præditi.*

41. *Non ſaturitas, non fames, nec aliud quicquam, qnod naturæ modum exceſſerit, bonum.*

42. *Inediæ quantum proſunt ad morbi curationem: tantùm vel ampliùs viribus officiunt. Cibi verò quantùm ægroti robur adaugent, tantùm materiæ peccantis coctionem impediunt.*

43. *Fame dominante ab omni agitatione vacandum & labore.*

44. *Famem thorexis ſolvit.*

45. *Corporibus humida carne præditis perferenda fames eſt. Nam fames ſiccat corpora.*

VII.

De Phlebotomia.

Præſer-

Præſervationis, minorationis, alleviationis, diverſionis, alterationis, deoppilationis, attractionis, eventationis, purgationis, & eradicationis gratia phlebotomia fieri poteſt. 46.

Ipſa morbi magnitudo præſens, & robur laborantis, cum chymorum coctione legitimè approbant fieri phlebotomiam. 47.

Larga ſanguinis detractione humores mali deteriores fiunt. 48.

Humoribus omnibus vitiatis malè ſanguis detrahitur. 49.

Quoniam phlebotomia ad diverſum trahens naturam retinet, alvo ſiccata ſanguinem mittere non licet, niſi priùs clyſteribus pinguibus mollibuſq; aut ſuppoſitorijs ventrem ſolveris. 5

Poſt longos morbos, aut à crapula, ſanguinis miſſio cavenda. 51.

Plena crudis humoribus, prægnans, & menſtruata, niſi maxima urgeat neceſſitas, non debent phlebotomari. 52.

In tribus primis menſibus prægnans venæſectionem faciliùs ſuſtinet. Quarto autem, quinto, aut ſexto pharmacum tutiùs. 53.

Boni ſanguinis paucitas cum multis malis ſuccis renuit phlebotomiam. 54.

Ventriculo debili, vel alvo adſtricta ſanguinem mittere noxium. 55.

Poſt ſanguinis miſſionem cibo modico utendum. 56.

57. Ne cholera, aliusve humor ad ſtomachum repens ſyncopen inducat, buccella panis vino, ſuccoq; granatorum, aut alio iure acerbo infuſa, priuſquàm phlebotomes, debitè miniſtratur.

58. Permittente virtute, dum te cogit neceßitas, omni tempore, & hora, ſive dies ſit, ſive nox, phlebotomare conuenit.

59. Crapula, nauſea, coitus, calor ingens, algor, dolor, balneum, infantia, ſenectus, chronicus morbus, ſtomachi faſtidium, eiuſq; debilitas, naturæ frigiditas, vel corporis ſiccitas, venam aperiri regulariter prohibet.

60. Reſupinus decubitus in venarum ſectione ægri virtutem conſervat, & à ſyncope prohibet.

61. In febrium ingenti fervore, & ijs quibus ſpaſmus accidit, & in die motus morbi, vena ſecari non debet.

62. Multoties in autumno ſanguinem minuentibus, accidit ſæpè viſus obſcuritas, & aliquando cæcitas.

63. Sectio venarum crurum retentas provocat mariſcas, fluentes autem epaticarum inciſio retinet, menſtrua perſimili ſæpè cura ſanantur.

64. Forti morbo exiſtente, vel etiam moleſtißimo, cum virtutis ægroti robore indubiè facimus phlebotomiam, citra tamen hanc intentionem ſunt infantes & pueri.

65. Humorum multitudo, & morbi malitia, ſanguinis miſsionem expetunt.

Difficile

Difficile tranſpirabile corpus, aut ex multitudine ſuccorum febriens, ſanguinis indiget detractione. 66.

Ars tota rectè exercendæ phlebotomiæ, vel quamcunq; aliam operationem circa corpus, in duabus generaliſsimis conſiderationibus atq; principijs conſiſtit: quarum prima eſt neceſsitatis & poſsibilitatis, ſecunda verò operis & modi operandi. 67.

Venæ manuum, crurum, pedumq;, & capitis, (illa dempta quæ ſub mento eſt) poſt paſtum ſunt aperiendæ. Brachiorum verò ante ipſum debent aperiri. 68.

Venam incidere multoties in anno, non videtur idoneum. Simul enim cum ſanguine de vitali ſpiritu non parum evacuatur, quo quidem evacuato tota corporis moles infrigidatur. 69.

A venarum inanitione ad pharmacias notabiles, aut contrà, ante triduum tranſire periculoſum eſt. 70.

Cùm ex vena inciſa ſanguis erumpit, colorem eius, habitumq; oportet attendere. Nam ſi is craſſus & niger eſt, vitioſus exiſtit, ideoq; utiliter effunditur. Si rubet integer eſt, eaq; miſsio non prodeſt, ut etiam non noceat, protinus is ſupprimendus eſt. 71.

Mulier vtero gerens ſanguine miſſo ex vena abortit, & magis ſi fœtus ſit maior. 72.

Qui in iuventute plurimùm ſanguinem per 73.

per phlebotomiam eijcere sunt consueti, eorum natura post sexagesimum annum in frigus resoluitur, & suffocatur in eis naturalis calor, maximè verò si frigidæ fuerint complexionis.

74. Post fortem evacuationem phlebotomia non sequatur, nisi tribus exactis diebus.

75. Quemadmodum sub cane, & quolibet tempore, aut extremè calido, aut frigido, sanguinem mittere non convenit; ita nec pharmaca dare.

76. Quibus una die bis sanguis mittendus, si viribus valeant, primò copiosius, parcius secundariò fundatur.

77. Quibus stomachus fuerit cacochymicus, eorum ventriculum ante phlebotomiam præmundari, eiusq; os corroborari oportet.

78. Luna vetus veteres, iuvenes nova luna requirit. Senes vocantur, qui supra quadraginta sunt annos, ijs posteriores quadræ Lunares conveniunt.

79. In tertiana non debet fieri phlebotomia, nisi post tertiam, vel quartam accessionem, ut sit facta separatio maligni à benigno.

80. Quinquagenarijs, licet non conveniat phlebotomia, scilicet ratione conservationis sanitatis: tamen in necessitate & ægritudine imminente non est prætermittenda.

81. In febricitante cholerico nõ est extrahendum multũ de sanguine una vice, quia exasperat magis cholerã. Humiditas enim sanguinis frenum choleræ est. Secus in alijs benè habituatis, vel phlegmaticis.

Præpo-

Præposterè faciunt, qui immodicas, atq; vehementes purgationes præmittunt phlebotomiæ. Levis enim evacuatio, non fortis, convenit. 82.

Quibus sanguinem è venis detrahere conducit, ijs vere secanda est vena. 83.

Venæ sectionem impediunt, imprægnatio, ætas, virtutis debilitas, & ventris constipatio. 84.

Sectio venæ frontis dolorem capitis chronicum extirpat. Antequam autem hæc secetur, collum prius vinculo arctè constringatur. Sic enim vena frontis manifestius apparet. 85.

In Paralysi si adest plenitudo, secetur vena in latere incolumiori, & sit moderata phlebotomia, ne corpus immodicè refrigeretur. In parte verò paralytica nequaquam ipsa conducit venæsectio. 86.

In capitis affectibus, quando adest plethora, aut ubi sanguis in toto exuperat, tùm principio secetur vena mediana dicta, seu saphena, si mens non eunt, eius partis in qua dolor potissimùm exercet, postea cephalica aperiatur, vel huius loco ea, quæ est inter pollicem & indicem. Post tres vel quatuor dies, si dolor adhuc sævit, vena frontis secanda est, vel scarificandæ sunt cartilagines aurium, vel cucurbitulæ in humeris affigendæ. 87.

Quantitas sanguinis, is qui extrahitur, sit secundum quantitatem repletionis & virtutis 88.

In febribus continuis venam hora diei frigidiori, hoc est, in aurora tunde. In intermittentibus 89.

tibus verò vena est secanda, & medicandum tempore intermissionis.

90. Quando color corporis malus est, phlebotomiæ usus improbatur.

91. Cùm venam secas pulsum tangito, & quando deficere, vel tremulus fieri incipit, tùm supprimatur, & statim buccellam panis torrefacti optimo vino maceratam, vel in vino granatorũ, aut syrupo de agresta, vel miva citoniorum infusam, offeras.

92. A secta vena non statim cibus sumatur, donec hora transiit, ne corpus crudis humoribus repleatur. Statim etiam requiescat, ut humores moti quietiores reddantur, & arceatur à somno, ne sanguis ad interiora abeat, decurratq;.

93. Si quid venæsectionem inhibet, utimur eius loco cucurbitulis.

94. Quorum stomachus ac epar frigida intemperie laborant, phlebotomandi non sunt.

95. In corporibus quæ prolixas perpessa sunt ægritudines, cavendum est à phlebotomia.

96. Alvo constipata nunquam fiat phlebotomia, neq; etiam in die, in qua natura se morbo opponit, hoc est, in die aliquo critico.

97. In revulsionibus, ut in sputo sanguinis, hæmorrhagia narium, sic in phreneticis & furientibus, an ustißimam incisionem facere oportet, ob duas causas; & ut solummodò subtilis evacuetur sanguis, & crassus in corpore relinquatur; & ut vulnus celeriùs conglutinetur.

A venæ-

A venæsectione ne apostema oboriatur, brachiũ elevetur, & capiti imponatur. Si verò in pede secta est vena, tùm etiam pes altiùs gestetur, supinusq; sedeat. 98.

In tribus casibus venam secamus etiamsi nulla sanguinis copia adsit, vt in vehemẽtißmis doloribus; veluti in ileo, ubi dolor est intensus, secatur vena ne accidat apostema, propter attractionis vim, quæ in dolore est. In ictu seu casu ex alto, ut materia affluens sic revellatur; & in adurentibus febribus, ut totum corpus refrigeretur. 99.

Quando à secta vena aliquo in loco dolor eveniat, venæsectio repetenda est, ne ob motos humores apostema oboriatur. 100.

In morbis ex plenitudine ortis, venæsectio postabẽda est, quãdo menses, aut hæmorrhoides fluunt. 101.

Vena non est aperienda, dum cruditas in stomacho adest. 102.

Reconvalescentibus vena non est secanda, quia parum habent boni sanguinis. 103.

Si virtus est robusta, & necessitas urgeat, etiam septuagenarijs venam incides. 104.

Si gutta sanguinis in aquam proiecta fundum petit, tùm sanguis crassus esse censetur. Si verò supernatat, aut diffunditur, cẽsetur esse aquosus. Si autẽ medio modo se habet, bonus esse iudicatur. 105.

Magnum fiat foramen in tribus casibus: primò quãdo crassi humores exuperant, deinde tẽpore frigido, ut in hyeme: & tertiò propter humoris copiam. 106.

Vena non est secanda ebriosis, quibus stomachus 107.

machus est repletus cibo & potu, crudis humoribus abundantibus, à coitu, à balneo, à vehementi exercitio, in fine chronicorũ morborum, id est, in recõvalescẽtibus, labore defatigatis, ut fabris & balneatoribus, & tempore calidissimo, & frigidissimo.

108. Aëre existente nebuloso & turbido vena non est aperienda, ne aër subintrans sanguinem inficiat. Ideò eligatur aër clarus, purus, & luminosus.

109. Cephalica substratam habet arteriam, & neruum nullum, ideò minus est periculi si secatur. Mediana neruum, Epatica verò arteriam magnam, ideò cautè agendum.

110. Neruum vulneratum esse, inde constat, quia adest plerumq; spasmus, paralysis seu stupor, dolor intensus, febris, delirium, vigiliæ, sitis. Arteriam verò, quia sanguis prorumpens cum saltu exit, estq; valdè calidus, tenuis & rubeus seu flavus.

111. Venarum pedis, ut saphenæ, sciaticæ, & harum vicariarum, phlebotomia plus debilitat, quàm reliquarum, quia longius à corde avertunt calorem & spiritum, quàm reliquæ venæ. Ideò communiter has venas secamus à prandio, quia tunc virtus est fortior, & tunc humores magis moventur ad extrema corporis, & venas minores.

112. Antequam vena secetur, aluus & vesica prius exoneranda sunt.

113. In Autumno & principio hyemis secamus venas sinistri lateris, ob melancholiam, & humores adustos in liene coaceruatos.

Quibus

Quibus color corporis albidior, quàm pro naturali habitu est, aut quibus plumbeus est, sic qui valde obesi sunt, & præpingues, item qui senes, his vena temerè secanda non est. 114.

In corporibus obesis cautè est secanda vena, quia sanguine non abundant. In gracilibus verò audaciùs venam secamus. 115.

Quibus corpus gracilè est, & venas habent amplas, ijs sanguinem demas uberiùs. Quibus verò candidum & molle, & venas exiles habent, ijs parciùs. 116.

In acutis affectibus sanguinem detrahe, si vehemens videatur morbus, ægrotus ætate floreat, roburq; illi adsit. 117.

Sanguis non effluit, aut ob copiam eius, hic bonum est tussire, screare, aut scapulas pulsare: aut sanguinis crassitiem & paucitatem, aut timorem & pusillanimitatem, aut demum foraminis parvitatem. 118.

A vena secta detestatur omnis motus, & crapula: Sic etiam coitus. 119.

Sanguinis missionẽ immoderatam, sequũtur hæc incommoda; scilicet: aut syncope ob virium exolutionem, aut faciei decoloratio & cachexia, aut difficultas spirandi seu orthopnæa, languida cibi concoctio, appetitus prostratus, & pedum totiusq; corporis tumor. 120.

In morbo recenti vena secatur in latere oppositò: In inveterato verò in latere affecto. 121.

WBP Onolo

122. *In principio vena tundatur in parte contraria: In ſtatu verò ac fine, in parte affecta.*

VIII.

De Ventoſis.

123. *Cucurbitula materiam evacuare, dolorem q; mitigare, quotidiano uſu comperta eſt à peritis, ventoſitates item carminare retentas, proſtratum appetitum revocare, imbecillem quoq; ſtomachum roborare, & quæ in profundo ſunt rheumata trahere poſſe, hæmorrhagias prohibere, menſes muliebres ciere retentos, & nimium fluidos compeſcere.*

124. *Fronti admotæ cucurbitulæ, phlebotomiæ Cephalicæ vicem gerunt. Inter ſcapulas autem, & ad cubitum, medianæ; ſupra renes verò, baſilicæ.*

125. *Colicum affectum, vomitum q; & ſingultum compeſcunt affectæ particulæ, cucurbitulæ ſuperimpoſitæ. His etiam uterus, inteſtina q; & oſſa, decenter applicatis, ad ſedes reducuntur. Vretorum meatus dilatant renibus adhibitæ, exinde q; calculos educunt. Auribus quoq;, & fiſtularum orificio appoſitæ, ſaniem è profundo attrahunt. Collo applicitæ, reſpirationis viam amplificant: Angina igitur læſis ſubſidio ſunt.*

Cucurbi-

Cucurbitula ubi inhæſit, ſi conciſa antè 126.
ſcalpello cutis eſt, ſanguinem; ſi integra eſt, ſpiritum extrahit. Ergo ubi materia, quæ intus eſt, lædit, illo modo, ubi inflatio, hoc imponi ſolet.

Cucurbitulæ, ut auxilium minùs vehemens, 127.
ita magis tutum, neq; unquam periculoſum, etiamſi in medio febris impetu, inq; cruditate adhibeantur.

Potiores ac vehementiores iudicantur, quæ 128.
cum igne applicantur, quàm quæ ſuctione.

Cuticulæ inciſio, tantò profundior eſſe de- 129.
bet, quantò craſſior eſt ipſa cutis, ſanguisq; ipſe evacuandus profundiùs deliteſcit.

Cucurbitulas affigere occipiti, oblivionem 130.
inducit. Sic, ſcapulis affixæ, tremorem cordis pariunt, niſi tremor ob copiam ſanguinis ortus eſt.

Mulieribus albi coloris, ac rari habitus, 131.
magis expedit cucurbitularum ſupra crura appoſitio, quàm ſaphenæ inciſio.

Cucurbitulæ affixæ cruribus, ſanguinem 132.
mundificant, & menſes evocant.

Cucurbitulæ nonnunquam affiguntur, ut 133.
membrum frigidum calefiat, ut in paralyſi, vel ut flatus diſſipentur, ut in colica.

Nervorum origini cucurbitulæ ſuprapoſitæ, 134.
ipſos calefaciunt, ob id curant paralyticos.

Cucurbitularum uſus in præpinguibus dete- 135.
ſtatur.

136. *In Melancholicis affectibus usus cucurbitularum improbatur cum scarificatione. Sic enim subtilis extrahitur sanguis, crassus in corpore relinquitur.*

IX.

De Sanguisugis.

137. *A profundiori sede attrahunt hirudines, crassioresq; succos. Cucurbitulæ à proximiori, & subtiliores.*

138. *Sanguisugæ antequam affigantur, locus prius fricetur ut rubescat, aut foveatur aqua calida donec rubescat locus, postea illinatur sanguine recenti, ut adhæreant. Eligantur autem quæ non in lutosis & turbidis aquis degunt.*

139. *Si vis ut sanguisugæ decidant rursus, aspergatur sal, aut cinis, aut calx. Si verò, posteaquam deciderint, sanguis adhuc fluet, pulvere aliquo competenti sistatur.*

140. *Post casum sanguisugarum, cucurbitula, ut virus, quod in vulnere relictum est, extrahatur, affigenda est.*

141. *Sanguisugæ antequam adhibentur, debent esse famelicæ, quod fit, si in aqua absq; cibo aliquandiu asserventur.*

Sangui-

Sanguisugæ si fuerint venenatæ, succedit 142. *aut syncope, aut apostemata mala, aut sanguinis fluxus, aut febris, aut ulcera maligna.*

In morbis omnibus subcutaneis, qui facti 143. *sunt ex sanguine corrupto, multùm valent sanguisugæ, & plus, quàm ventosæ. Nam ventosa indifferenter attrahit bonum & malum: Sanguisuga verò non, sed sibi proportionabilem, scilicet malum.*

X.

De Excrementis.

Omnia corporis excrementa, cuiuscunq; ge- 144. *neris sunt, in quibuslibet morbis semper consideranda sunt.*

A cunctis corporis venis lotium demitti- 145. *tur, eo modo quo & sudor. Quemadmodum enim sudor est aqua sanguini mixta; ita quoq; est lotium.*

Excrementum alvi molle, atq; coniunctum, 146. *iusta quantitate pro ciborum assumptorum ratione, ac hora consueta exiens, optimum iudicatur.*

Excrementa membrorum, in quibus fit æ- 147. *gritudo, semper considerandæ sunt. Nam quælibet excrementorum coctio, quoquo tempore ap-*

paruerit, brevitatem morbi, eiusq; melioratione indicat.

148. Ægritudinem ſolvi impoßibile eſt, priuſquam digeſtionis ſigna appareant in excrementis.

149. Ab excrementorum natura affectæ ſedis coniecturam facere poſſumus, ſinguliq; dolores pro ſitus varietate, affectum locum oſtendere poſſunt.

150. Periculum oſtendit id, quod excernitur, ſi glutinoſum eſt, ſubpallidum, vel ſi eſt lividum, aut bilioſum, aut cruentum, aut peioris odoris, quàm ex conſuetudine.

151. Pus quacunq; parte erumpit, ſi eſt leve, album, vnius coloris, ſine ullo metu eſt, & quo effuſo febris protinus conquieverit, deſieruntq; urgere cibi faſtidium, & potionis deſiderium.

152. Deiectiones nigræ, qualis eſt ſanguis niger, ſponte venientes, ſive cum febri, ſive ſine febri, peßimæ. Et quantò colores magis pravi, plures, peius. Cum medicamento verò, melius, & quantò colores plures, non pravi.

153. Alvi excrementa inter bona indicia ſunt, ſi mollia, ac benè colorata ſunt, ſi eodem ferè tempore, quo in ſecunda valetudine deijci ſolebant, excernuntur, & ſi bis, quæ ingeruntur, proportione reſpondent.

154. Excreationes in febribus non intermittentibus

tibus lividæ, ſanguineæ, bilioſæ, & fœtidæ, omnes malæ.

Pus illud optimum eſt, quod album eſt, & 155.
leve, & haudquaquam fœtet: Quod verò ab hoc variat, peßimum eſt.

Alba excrementa, vixq; confecta, digeren- 156.
di & attrahendi vim invalidã ſignificant: Varia verò, corruptam digeſtionem oſtendunt.

Quibus cruda per inferiora ſubeunt, ab a- 157.
tra bile; ſi plura, copioſiore; ſi pauciora, minore.

XI.

De Vrinis.

Qualis ſanguis, talis urina. Siquidem, ſi bi- 158.
lioſus ſit, eius quoq; ſerum bilioſum eſſe oportet. Si pituitoſus, pituitoſum; ſi melancholicus, melancholicum. Vbi verò crudus eſt, tenuis vtiq; & aquoſa urina cernitur.

Vrina turbida quæ viſitur, qualis ſubiu- 159.
galium, crudis ſuccis refertas venas indicat, non tamen naturam ceſſare, ſed eos concoquere valenter.

Si celeris ſeparatio craßi à liquido in urina 160.
cernitur, ſitq; quod ſubſidet albũ, leve, & æquale, iam iam ſuperaturã eos omnes naturam aſſerit. Si verò pura mingitur, ac protinus turbatur, iam

crudi ſucci coctionem aggredi naturam docet. At ſi interpoſito tempore turbetur, non protinus, ſed paulò poſt aggreſſuram inſinuat.

161. Cùm iudicia urinarum mendoſa & falſa ſæpè inveniantur, qui ex ſolo ipſarum iudicio ægros nituntur curare, multa committunt homicidia.

162. Lividus urinarum color frigiditatis effectus eſt: Odor verò gravis, putrefactionis.

163. Non facilè pronuncies de urina, niſi poſtquam ægrum videris, & eum interrogaveris atq; examinaveris.

164. Vrina peßima ac mortifera ea eſt, quæ nigra, craſſa, & mali odoris eſt.

165. Si ſanguis aut pus in urina eſt, vel veſica, vel renes exulcerati ſunt.

166. Ex veſica dolente, ſi purulenta urina proceßit, inq; ea leve & album ſubſedit, metum diſtrahit.

167. Si urinæ cruentæ ſunt, in venis vitium eſt.

168. Si in urina veluti furfures huc illuc natent, ſcire licet veſicæ ſcabiem eſſe.

169. Quibus incipiente morbo urina craſſa eſt, ac veluti nubeculæ in ipſa ſuſpenduntur, ſi nihil aliud obſtiterit, eos purgare convenit.

170. Cuius urina in morbo diuturno ſani hominis urinæ ſimilis, in una eademq; qualitate permanſerit, is nunquam evadet ægritudinem.

Cuius

Cuius urinam non prænoveris ſani, eius iam ægrotantis haud cognoſces facilè. Vrina enim ſanitatem hominis præ ſe ferens, in nullo mortalium, neq; quantitate, neq; qualitate, neq; liquore æqualis eſt. 171.

Quibus pellucidæ & albæ ſunt urinæ, malæ, præſertim ſi in phreneticis appareant. 172.

Si quis ſanguinem aut pus meiat, renum aut veſicæ exulceratio ſignificatur. 173.

Quibus cum urina craſſa exiguæ carunculæ, ac veluti pili exeunt, his à renibus excerniur. 174.

Quibus cum urina craſſa furfuroſa quædam unà exeunt, his veſica ſcabie laborat. 175.

Qui inopinanter ſanguinem meiunt, ijs à renibus venulam ruptam eſſe ſignificatur. 176.

Quibus in urina ſubſident ſabuloſa, ijs veſica calculo laborat. 177.

Si quis ſanguinem aut grumos meiat, aut urinam guttatim emittat, dolore ad hypogaſtrium & pectinem, & perinæum pertinente, ad veſicam loca laborant. 178.

Si quis ſanguinem, aut pus, aut ſquamulas meiat, & gravis odor adſit, veſicæ exulceratio ſignificatur. 179.

Mictus noctu plurimus, parvam deiectionē ſignificat. 180.

Quibus diverſæ ſunt urinæ, ijs vehemens in corpore fit turbatio. 181.

Quibus in urina bullæ innatant, nephritim, & lon- 182.

& longam fore invaletudinem significant.

183. Quibus in urina adipalis superficies est, & conferta, ijs nephriticum & acutum morbum adesse significat.

184. Quæ per vesicam promanant, spectare oportet, an talia sint, qualia secunda valetudine subeunt. Nam quæ his minimè sunt similia, insalubriora; quæ verò valentibus similiora, minimè insalubria.

185. Et quibus hypochoremata, si residere permiseris, nec moveris, subsident, veluti strigmenta, quæ si pauca sunt, parvus morbus est; si verò multa, magnus, his alvum infernè purgari conducit. Alioqui si non repurgata alvo sorbitiones exhibueris, quantò plures dederis, tantò magis offenderis.

186. Qualia, quæ per urinas & alvum subeunt, & quæ per carnes abeunt, & si qua alia corpus à natura recedat, spectare oportet. Nam si parum, parvus morbus est; si multum, magnus; si valdè multum, iam tale fuerit pernicioſum.

187. Quando in urina non videtur manifestum sedimentum, & signum coctionis, vel in calore, vel substantia, vel in contentis, tùm nequaquam fortia aperitiva, uretica & solutiva exhibeantur, quia hoc certum est indicium, materiam nondum esse præparatam & æquatam.

XII.

De

De Sudoribus.

A sudore horror, non bonum. 188.

Sudor multus calidus, vel frigidus, semper fluens, humorem educi, robusto quidem suprà, debili verò infrà, significat. 189.

Sudores saluberrimi censentur in omnibus acutis morbis, si in diebus decretorijs oriantur, febremq; finiant, aut ubi toto corpore æqualiter insudante, æger morbum facilius sustinere videtur. Contrà inutiles, qui id efficere non valent. 190.

Sudorum omnium pessimi sunt frigidi, & ubi caput duntaxat, & facies, aut cervix insudat, quippe, qui in acuta quidem febri mortem, in mitiore verò morbum diuturnum fore significet. 191.

Quotiescunq; sudaverint tunicati, maximè graciles, expedit mutare tunicam, ne corpus lædatur infrigidato sudore. 192.

Quibuscunq; sanguis phlegmaticus, & viscera naturaliter sunt calida & robusta, his phlegmatica superfluitas ad cutim copioſè propellitur, & candida morphæa sæpius maculatur. Hoc autem illis præcipuè contingit, quibuscunq; crebrò sub vestibus sudor concluditur. 193.

Qua corporis parte sudor, ibi morbus. 194.

Sudor multus per somnium factus, copiosiore cibo corpus uti significat. Quod si parciùs epulanti 195.

epulanti hoc accidat, vacuatione indigere sciẽdum est.

196. Sudor multus, frigidus, calidusve, semper fluens; frigidus graviorem, calidus minorem morbum significat.

197. Sudor multus calidus, aut frigidus, semper fluens, humiditatem in robusto quidem supernè, imbecilli verò infernè, vacuandam esse demõstrat.

198. Sudores in diebus iudicatorijs si fiant, periculosi, præsertim qui ex fronte tanquam guttæ & fistulæ salientes pelluntur, frigidiq; valdè atq; multi: necesse est enim talem sudorem multa vi & labore, & longa expressione exire.

199. Sudor non est provocandus, donec corpus probè sit evacuatum, hoc est, in declinatione.

200. Quando aliquis sudat immodicè, tùm sudor nequaquam abstergatur, sic enim pori obstruuntur, ut nihil sudoris ampliùs succedere possit.

201. Quidam sanguinolento sudore madescunt, & hoc fit ob nimiam sanguinis tenuitatem, ac pororum raritatem.

XIII.

De Balneis.

202. Quibus prostratæ sunt vires, aut qui fastidio, aut vomitu afficiuntur, aut qui biliosa ructant, quibusve sanguis nimius ex naribus aut aliunde

aliunde fluit, sive qui per morbos plus æquo citatiores fiunt alvo, aut quibus supra modum alvus est adstricta, lavacro non sunt committendi.

Lavacrum lateris, pectoris atq; dorsi mitigat dolorem, sputum maturat atq; educit, spiritum quoq; faciliorem reddit. 203.

Balneum post exercitium, & ante prandiũ factum, corporis partes humectat, poros aperit, abstergit sordes congregatas, minuit repletionẽ, ventositates dissolvit, somnum provocat, humores subtiliat, dolores reprimit, stringit ventrem, lassitudinem removet, corpusq; cibis magis aptũ efficit. 204.

Lavacra æstate & hyeme, præsertim ijs, qui balneis multis assueti sunt, non incommoda iudicantur. Gracilibus tamen, quàm corpulentis incommodiora habentur. 205.

A lavacro illicò nec sorbere, nec bibere convenit. 206.

Balneum fatigationem lenit, articulos & cutim emollit, urinam ciet, capitis gravitatem solvit, nareſq; humectat. 207.

Qui alvo sunt citatiore, quàm fuerit opportunum, aut nimis astricta, ij lavacro committi non debent. 208.

Qui volens ingredi balneum timet motum choleræ ad os stomachi, ille ante ingressum balnei assumat panem in succo granatorum acetosorum aut arantiorum acetosorum infusum, ne accidat syncope: A balneo nequaquam. 209.

Exiens

210. Exiens è balneo, corpus benè tegat pannis, ne ab aëre externo frigido lædatur.

211. Balneum aquæ simplicis temperatè calidæ, confert in febrium declinatione, signis coctionis manifestè in lotio apparentibus. Sic enim cutis rarior fit, pori aperiuntur, reliquiæ transpirant, & resolvuntur, corpus inde humectatur. Hecticis confert, præsertim, si postea in frigidam aquam subitò demerserint se, sic enim pori apertè constringuntur, & humidum aqueum in eis contentum detinetur.

212. Quando à balneo aliquis non dormit, signũ est, pravos humores in corpore abundare, quorum vapores resoluti à balneo stimulando meninges, vigilias inducunt.

213. Quando ingrederis balneum, & horrore afficiaris; tunc statim rursus exeas. Hoc enim accidit ob materiam motam, & nota est, corpus non esse mundum.

214. Quando à balneo aliquis dolore capitis vexatur, ob vapores à balneo motos caput petentes, excitantes vel dolorem capitis, vel vertiginem, hîc utere, quæ ascensũ vaporum ad caput inhibent, ut Diacitoniũ absq; speciebus, coriandrum confectum unius tunicæ, grana granatorũ, & similia stiptica, ut rob de ribes, iuleb rosarum, Capiti etiam linimenta facta ex albumine ovi, aceto & aqua rosarum, plantaginis, vel solatri.

215. Antequã ad thermas proficiscaris, corpus priùs probè

probè evacuetur. Si corpus plethoricum est, venæ sectione: si verò cacochymicum, tùm purgetur cathartico competenti; nec unica hîc sis contentus evacuatione. Si enim corpus non est probè evacuatum, tùm humores pravi liquescunt & dissolvuntur; unde pravorum humorum cum bonis fit commixtio, & eorum ad membra debilia defluxus, & præterea subtiles evacuãtur, & crassi in corpore relinquũtur.

216. Intres balnea ventre vacuo & priùs exonerato, & vesica levata; ne cibus crudus & recrementa ad membra trahantur, id quod multarum ægritudinum causa est.

217. Quando è balneo egredieris, corpus probè sit munitum, ne per poros patentes aër irrepat frigidus, & offendat interiora.

218. Vltra modum in balneo non perseveres, ne virtus exolvatur: Ideoq; ad virtutis usq; tolerantiam tantùm permanendum.

219. Qui calidæ sunt complexionis, & raræ texturæ, ac tenuium humorũ, illi nequaquam largam morã in balneo trahant. Qui verò fortes ac pingues sunt, & non facilè resolubiles, complexionis frigidæ ac humidæ, illi diutiùs in balneo perseverare possunt.

220. Dum in balneo es, neq; bibere neq; comedere debes. Si verò syncope molestaris ob cholerã motam, tùm offeratur panis in vino granatorum infusus.

221. Egressurus è balneo confestim se in lectum recipiat, ac sudet in eo per spacium unius horæ, ac dormiat, si potest.

222. E lecto ubi progrederis, refert levis motus,

& leve exercitium, vel loco exercitij fiant leves in corpore fricationes. Postea quiescat, & assumat cibum euchymum & facilis concoctionis.

223. A balneo statim, sic etiam ieiuno stomacho, nequaquam bibat aquam frigidam, neq; etiam vinum, ne apertis poris confestim penetret ad epar, & eius temperamentum alteret, unde cachexia.

224. Qui in thermis sunt, vitent diligenter coitum.

225. Non statim à cibo rursus ingrediantur balneum, donec cibus fuerit concoctus, hoc est, septem horis à prandio, aliàs cibus crudus à stomacho ad membra avertitur, unde oppilationes & aliæ ægritudines.

226. Qui balnea & thermas intrant corpore nõ inanito, purgatoq;, illis plerunq; hæc mala eveniunt, materia seu superfluitatibus liquatis, fusisq;, scilicet, vertigo, epilepsia, apoplexia, paralysis, spasmus, cœcitas, aut apostema in membro aliquo principe, aut pleuritis, peripneumonia, aut angina, aut asthma. Sic quibus calidi sunt renes, plerunq; ardore urinæ corripiuntur, renum intemperie calidè exaucta. Sic, quibus epar est calidum, fiunt hydropici, plerunq; molestantur siti, alvo dura & constipata. Ideoq; refert ante ingressum balnei, quibus renes calidi sunt, & epar calidum est, renes & epar ceroto Galeni inungere.

IX. De

XIIII.

De Frictionibus.

227. Frictio vehemens durat corpus, lenis emollit, multa minuit, modica implet.

228. Frictione utendum est; cùm aut adstringẽdum corpus, quod fluens est, aut molliendum, quod induruerit; aut digerendum in eo, quod copia nocet; aut alendum id, quod tenue & infirmum est.

229. Longa frictione uti, neq; in acutis morbis, neq; in crescentibus convenit, præterquam, cùm phreneticis somnus quæritur.

230. Capitis longos dolores ipsius frictio, non tamen in impetu doloris facta, levat, & membrum aliquod resolutum, ipsius frictione confirmatur.

231. Vbi à summis, aut à medijs corporis partibus, materiam evocare volumus, extremas partes perfricare solemus.

232. Frictio maximè necessaria est his, qui paralysin incurrunt, & quibus membra stupida sunt.

233. Ex forti frictione solvitur corpus, ex mediocri verò constringitur.

234. Corpora obstructa, levius sunt confricanda.

235. Modica frictio nutrit corpus, fortis desiccat, & extenuat.

XV.

De Animi accidentibus.

236. Vt multi à pueris malè educati, ac in desidia,

sidia, & intemperantia viventes, naturæ bonitatem corrumpunt: ita contrà nonnulli vitiosam corporis naturã sortiti, temperãtia vitæ & idoneis exercitijs ipsius naturæ vitia permutant in melius.

237. *Animæ actiones, & eius passiones, corporis complexiones sequuntur.*

238. *Aegrotante corpore impeditur anima in suis actionibus: Existente autẽ sano, agit omnia liberè.*

239. *Ira excandescit facies, pallescit verò metu, erubescit verecundia, gaudio serenatur, & obscuratur tristitia.*

APHORISMORVM MEDICINALIVM, SECTIO QVARTA.

I.

De Causa morbi.

1. *MOrbi causas ignorantes certa remedia adhibere non possunt.*

2. *A causis ægrotativis faciliter vinci eos, qui dyscrasiati sunt & imbecilles: Fortiùs verò resistere eucratos & robustos, certum est.*

3. *Cùm geminas corruptionis causas quodlibet corpus habeat, alteras internas, & à se (quas assiduum fluxum vocant, quò ad interitum tendit:) alteras*

alteras extrinsecas incidentes, excrementorum nimirùm proventum, ex cibis corpus ingredientibus, necessum est, ut curam quoq; geminam desideret, nempe, ut assiduum fluxum tardemus, & superflua corporis expurgemus.

Cùm inevitabiles homini sunt sex res non naturales, quas varijs de causis contingit distemperari, hominem quemlibet ægrotare, & mori, naturaliter necesse est. 4.

Digestionis corruptio mater est acutarum ægritudinum, & origo chronicorum morborum. 5.

Digestiva virtus si in dissemmando nutrimentũ per corpus erraverit, hecticũ corpus faciet; si verò in uniendo, tunc reddet hydropicum; at si in assimilando peccaverit, faciet illud leprosum. 7.

Ciborum indigentia, animi passionibus, vacuationibusq; superfluis, corporis virtus languescit, paulatimq; dissolvitur.

Angustas corporis venas habentes, à crassis & viscosis facilè offenduntur; quibus verò latæ sunt, minus. 8.

Phlegmatis à capite defluxus ad ventriculum, plures chronicos morbos inducit. 9.

Vna & eadem materia putrescens, in diversis corporis sedibus morbos dissimiles facit. 10.

Morbi alij à victus genere, alij à spiritu, quem attrahimus, proveniunt.

Cùm una ægritudine plures homines eodem tempore corripiuntur, causam reijcere 12.

ad id debemus, quod maximè commune est, quoq; omnes utimur, id autem spiritus est, quem accipimus, reddimusq;. Cum verò eodem tempore diuersi morbi gignuntur, sine dubio victus cuiusq; inculpandus.

13. *Morborum ferè omnium causa, stomachi infirmitas.*

14. *Omne nocumentum subitum & momentaneum, si ab interiori processerit, oritur à vapore. Si verò aliter sese habuerit, ab humore originem ducere certum est.*

15. *Mutationes temporum potißimùm pariunt morbos, & in ipsis temporibus, magnæ mutationes frigoris, aut caloris, cæterorumq; ad proportionem his respondentium.*

16. *Naturarum quædam ad æstatem, aliæ ad hyemem benè aut malè se habent.*

II.

De Morbo.

17. *Diversæ ægritudines diversa medicamenta requirunt, similesq; similia.*

18. *Alterata corpora oppositis alterantibus indigent, repleta vacuantibus, vacua replentibus; omniumq; immoderationis correctio, per contrariam efficitur immoderationem.*

19. *Complicatis ad invicem morbis, cuilibet innitendũ: Prius tamẽ causanti, causato nõ neglecto.*

20. *Multos magnos morbos quiete, & abstinentia curari, Celsus affirmat. Si natu-*

Si naturalia non cognoveris, eorum quæ præter naturam sunt, noticiam non habebis. Ob id, numerum morborum comprehendere, impoßibile est, nisi prius eorum, quæ causa actionis sunt, in unoquoq; membro, dùm in suo naturali cursu extiterit, numerus agnoscatur. 21.

Errorem corrige, priusquam auctus curatu difficilior evadat. 22.

Quoniam oppositorum est eadem disciplina, perfectam morborũ noticiam habere impoßibile est, nisi prius habita fuerit sanitatis cognitio. 23.

Nemo melius morbo occurrit, quàm cui malum maximè cognitum est. 24.

Tanta est animi & corporis colligantia, ut sine animo corpus, nec sine corpore animus, rectè valere poßit. 25.

Morbos, qui à semine, vel naturæ vitio insiti sunt, ars parum adiuvat. 26.

Humidum tempus, humidos parit morbos, siccum, siccos. In algido verò frigidi, & in fervido calidi, gignuntur. 27.

Contrariorum morborum, contrariæ sunt solutiones: Contraria enim contrarijs curantur. 28.

Medicinæ subtiliativæ, aperitivæ oppilationum, & repletionum evacuativæ, morborum longitudini facilè obviant. 29.

Diuturnitate, si morbus invaluerit, rectius diutina curatio, quàm vehemens instituitur. 30.

Humorum acuties, membrorum sensibilitas, 31.

& virtus imbecilla, corporis ægritudinem faciunt acutiorem.

32. Tot sunt morborum compositorum species: quot modis ad invicem possunt putrefieri humores.

33. Morbi ex plenitudine facti, aucto Lunæ lumine augentur & crescunt, & ipsa decrescente decrescunt & minuuntur. Qui verò ex inanitione fiunt, in oppositum se habent.

34. Membro, quod est instrumentum cuiuis actionis, vitiato, consequens est, ut ipsius actio vitietur. Nam læsa membrorum temperatura, actiones ab his factas lædi, rationi consentaneum est.

35. Morbi tantùm curantur; causæ morborum, si adsunt, removentur; symptomata corriguntur, vel mitigantur.

36. Morbi non verbis, sed remedijs curantur.

37. Longis morbis senectus, acutis adolescentia magis patet.

38. Morbi qui ex repletione proficiscuntur, ex inanitione curantur; qui ex inanitione proveniunt saturitate; qui à labore, quiete; qui verò ex otio, exercitio vincuntur.

39. Initia morborum famem sitimq; desiderant. Ipsi verò morbi, moderationem, nempe, vt neq; aliud quàm expedit, neq; eius ipsius nimiũ sumatur.

40. Sicut universi morbi omnibus naturis, omni tempore, omniq; ætati evenire possunt: ita morbi vocati hæreditarij ac contagiosi, non mera necessitate subsequuntur; sed contingentia obveniunt, non tamen omnibus. Frigidæ

Frigidæ ægritudines in senibus difficiliùs: 41.
in iuvenibus facilius curantur.

Nullus est morbus, qui non requirat, ut super 42.
quibusdam infirmus interrogetur.

Quodcunq; membrum, vel natura, vel qua- 43.
libet occasione læsum fuerit, nunquam priori statui integrè restituitur.

In acutis passionibus sanguis detrahendus, 44.
si morbus vehemens, ætas florens, & virium robur adfuerit.

Circa initia & finem morborum remissiora 45.
sunt omnia, in vigore vehementiora.

In quovis morbo, valere rationem, rectèq; se 46.
ad ea quæ sumuntur habere, bonum: Contrà verò habere se, malum.

Minus periculosè ægrotant, quorum vel na- 47.
turæ, vel ætati, vel consuetudini, vel tempori familiaris morbus est, quàm quibus horum nullo affinis cognatusq; existit.

In quovis morbo partes ad umbilicum & in- 48.
simum ventrem attinentes, craßiores esse præstat: Harum siquidem extenuatio & tabes, mala. Sed ad inferiores quoq; purgationes parum tuta.

Magnam partem senes iuvenibus minus æ- 49.
grotant: semel autem diuturnis morbis correpti, ferè unà moriuntur.

Morbi alijs ad alia tempora benè vel malè se 50.
habent. Et quædam ætates ad tempora alia & loca, & aliud victus genus.

51. *Certis temporibus & ſuam tempeſtivitatem ſervantibus, certi & tempeſtivi, ac iudicatu faciles, morbi fiunt. Incertis autem & alienis, incertæ quoq; ægrotationes fiunt, & ad iudicandum difficiles.*

52. *Autumno in univerſum morbi acutiſſimi, & pernicioſiſſimi: Ver autem ſaluberrimum, & minimè exitioſum.*

53. *In morbis acutis deteſtatur omnis ſtrepitus, fragor, canum latratus, clamor, tumultus, & campanarũ ſonitus; ne natura ad exteriora evocetur, ſed potiùs ut intrinſecus maneat, & concoctioni, ac expulſioni materiæ, tota intenta ſit.*

54. *Terram mutare in diuturnis morbis, utile eſt.*

55. *In quocunq; morbo ſentitur gravitas, & põdus, ibi eſt materia.*

III.

De Symptomate.

56. *Cùm graviori ociùs ſuccurrendum ſit, accidentibus virtutem proſternentibus, relicta morborum cura, priùs ſuccurrendum eſt.*

APHORISMORVM MEDICINALIVM, SECTIO QVINTA.

I. De

I.

De Prognoſtico.

1. PRiusquàm morbum cures, mortis ſigna ſi percipias, ipſa præſagire oportet: Prognoſticatio enim inculpabilem reddit de morte Medicum.

2. *Quorum morborum cura adeò difficilis eſt, ut facilè evelli nequeant, cum bono præſagio ipſorum curam attentabis, & levando dolorem, patientis vitam ad tempus prolongabis.*

3. *In quibus deſperata omninò ſalus eſt, imprudentis conſilij fuerit, apud vulgum infamare præſidia, quæ multis fuêre ſaluti.*

4. *Si virtus non remaneat ad horam uſq; ſtatus morbi, ægrotum mori contingit ex illa ægritudine.*

5. *Virtutis debilitas, morbi magnitudo, materiæq; peccantis indigeſtio ſine criſi, ſubitam ægri mortem minantur.*

6. *Simplex affectus faciliùs multiformi curatur, minusq; periculoſus eſt.*

7. *A prima die morbi in ſingulis quaternis diebus, ipſius morbi ſigna, atq; morbum ipſum conſiderare oportet: Quoniam ex his duobus non ſolùm principij tempus cognoſcere licet; verùm etiam ſæpiùs, quo tempore morbus ipſe finietur.*

8. *A liene morbi, fiunt diuturni & melancholici: A vesicula autem fellis, breves oriuntur & acuti.*

9. *Deploratos non oportet attingere, sed magis recedere eventu morbi pronunciato.*

10. *Quæ præsentem sanitatem ostendunt, indicantia signa dicuntur; quæ futuram, prognostica, commemorantia, quæ præteritam. Maior tamen utilitas est indicantium, & prognosticorum, quàm commemorantium.*

11. *Cordis tremor assiduus subitam mortem minatur; sensus verò membrorum deperditio, paralysin.*

12. *Intensus capitis dolor cum rubente facie, phreneſin prognostícat; facies verò rubra tumens, & ad fuscedinem declinans, lepram futuram præsagit.*

13. *Ex stanguria iliacus dolor in septimo hominem rapit, nisi febris cum sudore præsidium adferat.*

14. *Timor & tristitia multa, quorum causæ ignorantur, melancholiam demonstrant.*

15. *Quoniam febrilis calor per arterias & venas febricitantium graditur, ipsorum urinas oportet considerare: Circa ventrem dolentium, egestiones, pleuriticorum, sputa.*

16. *Solita iuvare si iuvant, bona est eorum significatio; si verò non iuverint decenter exhibita, morbi exitus formidandus est.*

Facilè

Facilè solvitur morbus, si robur virtutis adsit: Imbecilli verò facta, citò mors accelerat. Ob id virtutis robur ex proprijs operibus oportet præcognoscere, & præsertim ex eis, quæ fiunt secundum pulsus; Nam vitalis virtutis præcipuè sunt opus: Morbi verò magnitudinem, ex proprijs symptomatibus. 17.

Ægritudines hyeme nutrimentum capientes, in æstate finiuntur; & contrà. Quæ verò in æstate creverint, nisi infra dierum circuitum absolvantur, terminantur in hyeme. Vernorum enim morborum autumnus liberator est, Ver autem autumnalium. 18.

Effectus qui ex suis causis de necessitate proveniunt, procul dubiò iuxta naturalem cursum prædici possunt. De his enim, quæ merè naturaliter accidunt, coniectura veritati propinqua, notis quibusdam præcedentibus, certum potest haberi iudicium. 19.

Cùm malorum futurorum inevitabilium, ignoratio utilior sit, quàm ipsorum scientia; deteriora accidentia superventura ægrotantibus ipsis haudquaquam debent præsagiri. 20.

Licet Medici ægros eo morbo, quo laborant, sciant esse morituros: ipsis tamen mortem nunquam prædicant. 21.

In morbo stomachi certius signum ex egestione, quàm ex urina sumitur. 22.

Quibuscunq; mulieribus ad mammas sanguis colligitur, furorem significat. 23.

Verno-

24. *Vernorum morborum liberatio in autumno; autumnalium verò in vere expectanda est.*

25. *Ea facies optima censenda est, quæ sanorum faciebus similis est. Quæ verò longiùs ab hac recedit, gravissimum periculum portendit.*

26. *Si nares acutæ sint, oculi concavi, collapsa tempora, frigidæ contractæq; aures, & imis partibus leniter versæ, cutis circa frontem dura, intenta, & arida, totius faciei color aut niger, aut pallidus, aut livens, aut plumbeus, malum; multoq; magis, si neq; vigilia, neq; ventris resolutio, neq; inedia præcesserit.*

27. *Indicia mortis sunt, ungues digitiq; pallidi, frigidus spiritus, aut si quis in veste floccos legit, vel in adiuncto pariete, si qua minuta eminent, carpit.*

28. *Dolores circa coxas & inferiores partes orti, si ad viscera transierint, subitòq; desierint, mortem subesse testantur, magisq; si alia quoq; signa accesserint.*

29. *Cui sano subitus dolor capitis ortus est, ac somnus profundus accesit, sic ut stertat, nec expergiscatur, illi intra septimum diem pereundum est, magisq; si eum alvus cita non anteceserit.*

30. *Grave est, si seipsum æger continere non valens, ad pedes subindè delabitur.*

31. *Vbi ægrotus pedes, brachia, cervicem, inæqualiter dispergit ac nudat, neq; ijs calor subest, mali morbi signum est.*

Pernicio-

Pernicioſum eſt, ubi hians quis aſſiduè dormit, aut ubi ſupinus iacet, cruribusq; vehementer contractis, complicatisq;. 32.

Stomachus cui doluerit, & acutè febrierit, ſi in dextro pede puſtula ei enaſcatur acerrima, & nullum deſiderium habuerit, ſeptimo die moritur. 33.

Acres ægritudines plus in ſenibus, quàm in iuvenibus timendæ ſunt. 34.

Timere quis debet, ſi crebra ulcera oriuntur, ſi corpus contra conſuetudinem incaleſcit, ſi gravior ſomnus premat, ſi tumultuoſa ſomnia adſint, ſi ſæpiùs expergiſcitur aliquis, quàm conſuevit, deinde iterùm ſoporatur, ſi corpus dormientis circa partes aliquas contra conſuetudinem inſudat, maximèq; circa pectus, aut cervicem, aut crura, aut genua, vel coxas. 35.

Metuere etiam quis debet, ſi loqui & moveri piget, ſi corpus torpet, ſi dolor præcordiorum adeſt, aut totius pectoris, aut in plurimis venis capitis, ſi ſaliva plenum os, ſi oculi cum dolore vertuntur, ſi membra inhorreſcunt, ſi ſpiritus gravior eſt, ſi frequentes oſcitationes, ſi genua quaſi fatigata ſunt, totumve corpus laſſitudinem ſentit. 36.

Sternutamentum inter bona indicia eſt, ſic & cupiditas cibi, vel à primo ſervata, vel etiam poſt faſtidium orta. 37.

Mali morbi indicium eſt, vehementer & crebrò ſpirare, dolorem habere continuum, difficulter 38.

culter ferre morbum, iactare brachia & crura, habere humorem glutinosum dentibus inhærentem, & præcordia dolentia & tumida.

39. Mali quoq; morbi signum est, nimis celeriter emarcescere, caput, pedes, manusq; calidas habere, ventre & lateribus frigentibus, aut partes extremas frigidas acuto morbo urgente.

40. Æquè malum signum est, post vomitum singultum accedere, post sudorem inhorrescere, præsertim si sudor frigidus fuerit, & non per totum corpus æqualis.

41. Senectutem longiores plerunq; morbi exercent: acutis verò adolescentia magis implicatur.

42. Oblivio, quæ sanis sponte provenit, comitialem morbum aut lethargum, aut apoplexiam denunciat.

43. Languor diuturnus plerumq; sola peregrinatione, aut loci mutatione fugatur.

44. Innata malitia figuræ nunquam adultis corrigitur: in crescentibus verò rarò.

45. Meatus innaturalis, qui diu manavit, ut in fistulis antiquatis, absq; timore gravioris incommodi, nisi manatio consueta derivetur ad proxima, obturari nequit.

46. Ablatio repentina cuiuslibet actionis, absq; causa extrinseca, testatur exuperare humiditates.

47. Eos, quibus egestionis & urinæ superfluitates diutiùs retinentur, lumborum aut circumiacentiũ membrorũ passiones incurrere necessum est.

Natura-

Naturarum diversitas potissima causa est, 48.
cùm longitudinis, tùm brevitatis vitæ. Sunt enim qui ab ipso ortu adeò improspero sunt corporis statu, ut ne si Æsculapium quidem ipsum ijs præfeceris, vel quadragesimum annum videant.

Naturarum diversitas potissimùm in causa 49.
est, cur ab ijsdem cùm adiuventur, tùm lædantur homines.

Morbi hæreditarij, licet utplurimùm inex- 50.
tirpabilis existimentur esse radicis: tamen ne in deterius pullulent, convenienti victus moderatione prohibere possumus.

Hæreditarius morbus censendus est, si utroq; 51.
parente, eodem morbi genere laborante, conceptus infans morbidus edatur. Vno enim parente existente sano, alterius seminis defectus corrigi poterit, ut in infantem hæreditariè morbus non transeat, ut experientia sæpè docet, quam negare, nimis sophisticum est.

Si ver pluviosum fuerit, & inconstans aë- 52.
ris mutatio, æstate expectare oportet pustulas ulceroſas plurimas, variolas, tubercula, abscessus, phrenesin, & omnis generis febres, quæ nulla ventris solutione curantur.

Morbi verò ipsi & anni tempora; & perio- 53.
dorum inter se proportionis observatio, sive eæ quotidiè, sive alternis, sive maiori intervallo fiant, paroxysmos & statum morborum indicabunt.

Sed

Sed ex ijs etiam, quæ postea apparent, indicia sumuntur, velut in pleuritide, sputum si statim in initio appareat, brevem fore denunciat, si verò posterius conspiciatur, longam. Quinetiam urinæ, alvi feces, sudores, & iudicatu faciles, aut difficiles, & breves aut longos morbos fore, cùm superveniunt, demonstrant.

54. Quo in morbo somnus laborem adfert, mortiferum est: si verò levationem, minimè est mortiferum.

55. Vbi somnus delirationem sedat, bonum.

56. Spontaneæ lassitudines morbos denunciant.

57. Qui ab aliqua corporis parte dolentes, ferè dolorem non sentiunt, ijs mens ægrotat.

58. In morbis acutis non omninò certæ sunt mortis, aut salutis prædictiones.

59. Non, si quid in morbis acutis fiat præter rationem levius, fidere oportet; nec turbari, si quid temerè grauius acciderit. Istiusmodi enim multa sunt incerta, nec durare diu, aut persistere solent.

60. Qui natura sunt valdè crassi, breviore vita fruuntur, quàm qui graciles.

61. In temporibus, cùm eodem die modò calor, modò frigus, autumnales morbi expectandi.

62. Auster auditum hebetat, caliginem visui obducit, caput gravat, membris tarditatem, & languorem conciliat: Cùm itaq; is increbrescit, talia invalidis accidunt. Contrà Aquilo tusses movet, fauces exasperat, alvum indurat, urinam

supprimit, horrores excitat, lateris & pectoris dolores facit. Hoc itaq; dominante, talia infirmos expectare oportet.

Cùm æstas sit similis veri, sudores in febri- 63.
bus multos expectare oportet.

Magnis siccitatibus febres fiunt acutæ. 64.
Quòd si annus talis esse pergat, qualem temporis statum effecerit, tales ferè morbos expectare oportet.

Inter anni partes, si hyems sicca & aquilo- 65.
nia, ver pluviosum & australe fuerit, æstate necesse est febres acutas fieri & ophthalmias, & dysenterias, mulieribus præsertim, & viris natura humidioribus.

Contrà verò si australis hyems, & pluviosa, 66.
& tepens fuerit, ver siccum & aquilonium, mulieres quibus partus in ver incidit, quavis occasione abortiunt, aut si pariant, tàm infirmos & morbosos partus edunt, ut vel statim ipsi intereant, vel tenues & valetudinarij vivant. Cæteris dysenteriæ & ophthalmiæ siccæ fiunt, & senibus catarrhi perniciem brevi allaturi.

Aestate verò sicca & aquilonia; autumno 67.
pluvioso & australi, vehementes capitis dolores in hyemem, & tusses, raucitates, & gravedines, nonnullis etiam tabes expectandæ.

Aquilonio verò & sicco autumno, homini- 68.
bus natura humidis, & mulieribus commoditas parabitur. Alios ophthalmiæ siccæ, & febres, partim

acutæ, partim longæ, quosdam etiam melancholiæ, malè habebunt.

69. *Ex tempestatibus anni, in universum siccitates assiduis imbribus salubriores, & minùs mortiferæ.*

70. *Assiduis imbribus morbi ferè fiunt, febres longæ, fluxiones alvi, putredines, epilepsiæ, apoplexiæ, anginæ, siccitatibus autem morbi tabifici, ophthalmiæ, articulorum dolores, urinæ, & intestinorum difficultates.*

71. *Quotidianæ tempestates Aquiloniæ, cogunt corpora, firmantq;, mobiliora item, expeditioraq;, & coloratiora, & auditu valentiora reddunt, alvum siccant, oculos mordent, & si pectus dolor aliquis priùs habuerit, exasperant. Contrà Austrinæ eadem solvunt, & humectant, auditum hebetant, caput gravant, vertiginem oculis, torditatem & languorem corporibus adferunt, alvum humectant.*

72. *Quod ad tempora verò pertinet, Vere & prima æstate pueri, & his ætate proximi, optimè degunt, valentq; maximè. Æstate verò & Autumni ad aliquam vsq; partem senes. Reliquo autumno & hyeme, qui mediam ætatem agunt.*

73. *Quilibet in quibusvis temporibus morbi fieri possunt: Nonnulli tamen in quibusdam magis, tùm fiunt, tùm irritantur.*

74. *Vere enim insania, melancholia, epilepsia, fluxiones*

fluxiones sanguinis, anginæ, gravedines, destillationes, tusses, lepræ, impetigines, vitiligines, & pustulæ, ulcerosæ plurimæ, tubercula, articulorum dolores.

Æstate verò nonnulli horum, & febres con- 75.
tinuæ, ardentes, & tertianæ plurimæ, quartanæ item, & vomitiones, alvi profluvia, ophthalmiæ, aurium dolores, oris ulcerationes, genitalium putredines & sudationes.

Autumno æstivi etiam multi morbi, & fe- 76.
bres quartanæ & incertæ, lienis tumor, aqua intercutem, tabes, urinæ difficultas, intestinorum tùm levitas, difficultas, coxæ dolores, angina, anhelatio, intestinorum parte quapiam coarctatio, epilepsia, insania, melancholia.

Hyeme pleuritides, peripneumoniæ, letharg- 77.
gi, gravedines, raucitates, tusses, pectoris, laterum & lumborum dolores, cephalalgiæ, vertigines, apoplexiæ.

Secundum ætates autem hi morbi fiunt, 78.
parvis & nuper natis pueruli, oris ulcera, vomitiones, tusses, vigiliæ, pavores, umbilici inflammationes, aurium humiditates.

Adventante dentitionis tempore, gingivarum 79.
pruritus, febres, convulsiones, alvi profluvia, maximè cum caninos edunt, & ijs præsertim, qui crassissimi sunt, & qui alvo sunt dura.

Ipsis verò grandiusculis, tonsillarum inflam- 80.
mationes, vertebræ in occipitio introrsum luxa-

 tiones,

tiones, anhelationes, calculi, lumbrici rotundi, aſcarides, verrucæ penſiles, ſatyriaſmi, ſtranguriæ, ſtrumæ, & alia tubercula, præcipuè verò antedicta.

81. Grandioribus autem, & ad pubertatem accedentibus, ſuperiorum etiam morborum multi, & febres diuturniores potiùs, & ex naribus ſanguinis fluxiones.

82. Pueris maxima ex parte morbi iudicantur, alij intra dies quadraginta, nonnulli intra ſeptem menſes, quidam intra annos ſeptem, alij ipſis etiam ad pubertatem accedentibus. Qui verò permanſerint, neq; pueris circa pubertatem, neq; fœminis cùm menſtrua erumpunt, ſoluti fuerint, inveteraſcere conſueverunt.

83. Adoleſcentibus, ſanguinis expuitiones, tabes, febres acutæ, epilepſiæ, aliiq; morbi, ſed præcipuè nunc dicti.

84. Vltra hanc ætatem provectis, aſthmata, pleuritides, peripneumoniæ, lethargi, phrenitides, ardentes febres, diuturna alvi profluvia, choleræ, dyſenteriæ, lienteriæ, hæmorrhoides.

85. Senibus ſpirandi difficultates, deſtillationes cum tuſsi, ſtranguriæ, dyſuriæ, articulorum dolores, nephritides, vertigines, apoplexiæ, malus corporis habitus, cachexia Græcis dictus, pruritus totius corporis, vigiliæ; alvi, oculorum & narium humiditates, viſus obtuſior, glaucomata, auditus hebetior.

Quibus

Quibus tormina adſunt, & circa umbilicum cruciatus, & lumborum dolor, qui neq; medicamento, neq; aliter ſalvatur, in ſiccum hydropa firmatur. 86.

Morbis quibuſvis incipientibus, ſi atra bilis ſupra infrave exierit, pernicioſum. 87.

Quibus per morbos acutos, aut diuturnos, aut vulnera, aut alium modum extenuatis atra bilis, aut velut ſanguis niger ſubierit, poſtridiè moriuntur. 88.

Sanguinem ſupernè quidem efferri, qualiſcunq; ſit, malum: Infernè verò niger ſi deijciatur, bonum. 89.

Quibus deiectiones ſunt bilioſæ, ſupervenientе ſurditate ceſſant: & contrà quibus ſurditas adeſt, bilioſorum deiectione finitur. 90.

Quibus ex morbo convaleſcentibus pars aliqua laborat, in ea abſceſſus fiunt. 91.

Sed ſi qua ante morbum pars laboraverit, ibi morbi ſedes. 92.

Ex qua parte corporis ineſt calor, aut frigus, ibi morbus. 93.

Et quando toto corpore mutationes accidunt, ut ſi corpus refrigeretur, & viciſsim calefiat, vel calor alius ex alio oriatur, longitudinem morbi ſignificant. 94.

A copioſo ſanguinis fluxu ſingultus aut convulſio, mala. 95.

A purgatione immodica (quam hyperca- 96.

tharsin vocant) convulsio, aut singultus, malum.

57. Si ebrius quispiam derepente obmutescat, convulsus moritur, nisi febri corripiatur, aut qua hora crapula solvitur, vocem recuperet.

98. Qui tetano corripiuntur, intrà quatuor dies intereunt: si verò hos superaverint, incolumes evadunt.

99. Calidum frequentiore usu hæc invehit incommoda: carnis effœminationem, nervorum incontinentiam, animi torporem, profusiones sanguinis, animi deliquia, ad quæ quidem mors.

100. Frigidum verò convulsiones, tetanos, nigrores, & rigores febriles adfert.

101. Frigidum inimicum ossibus, dentibus, nervis, cerebro, dorsali medullæ, Calidum verò amicum.

102. Frigidum ulceribus mordax, cutem obdurat, dolorem insuperabilem facit, nigrorem inducit, rigores febriles, convulsiones & tetanos curat.

103. Calidum in quo ulcere pus movet, maximum securitatis præstat indicium, cutem emollit, extenuat, dolorem lenit, rigores, convulsiones, tetanos mitigat, capitis gravitatem solvit, ossibus fractis plurimùm prodest, maximè si nudata sint, multoq; magis, si in capite. His etiam prodest, quæ moriuntur, aut ulcerantur à frigore. Herpetibus deniq; exedentibus, sedi, pudendo, utero, vesicæ, his omnibus calidum

lidum amicum, & decretorium, frigidum, inimicum & interimens.

Frigido verò in his utendum, undè fluit, aut fluxurus sanguis est, non quidem eodem loci; sed ad ea loca, undè influit admoto: & si quæ partium inflammationes aut deflagrationes, ad rubrum sanguineumq; colorem tendunt, recenti efflorescente sanguine, ijsdem ipsis adhibito. Nam inveteratas nigrefacit. Erysipelas etiam non ulceratum iuvat; Siquidem exulceratum lædit. 104.

Frigida veluti nix & glacies, pectori inimica, tusses movent, venarum ruptiones & destillationes efficiunt. 105.

Ad recti intestini & uteri inflammationem, purulentosq; renes, accedit stranguria: Iecore verò inflammatione laborante, intervenit singultus. 106.

Quibus arida & dura cutis obtenditur, sine sudore moriuntur: quibus verò laxa & rara, cum sudore vita defunguntur. 107.

Quibus nares humidiores natura, & genitura humidior, ij minùs prospera valetudine fruuntur: Quibus verò hisce contraria adsunt, salubriùs degunt. 108.

Singultu fatigante, sternutatio superveniens, liberat. 109.

Pertusa, perfectave vesica, cerebro, corde, septo transverso, tenui quopiam intestino, ventriculo, iecore, lethale est. 110.

111. *Perfectum os, aut cartilago, aut nervus, aut genæ tenuis particula, aut præputium, neq; augetur, neq; coalescit.*

112. *Si in ventrem sanguis præter naturam effusus fuerit, is suppuretur est necesse.*

113. *Si metus atq; mœstitia longo tempore perseverent, melancholicum est signum.*

114. *Qui calvi sunt, ijs varices magni non fiunt; quibus verò calvis existentibus varices supervenium, ij rursus capillati fiunt.*

115. *In somnis etiam an de oculis aliquid subappareat, spectare oportet. Nam si quid non exactè commissis palpebris de albo appareat, modò non ex alvi profluvio, aut medicamenti potione accidat, malum signum est, & valdè pernicioſum.*

116. *In morbis acutis cum febre, quasi gementium suspiria, mala.*

117. *Morbis melancholicis per hæc tempora suspecti humorum decubitus, vel apoplexiam corporis, vel convulsionem, vel maniam, vel cæcitatem denunciant.*

118. *In morbis acutis frigus partium extremarum, malum.*

119. *Propter os ægrotans caro livida, malum.*

120. *A vomitu singultus, & oculorum rubor, malum.*

121. *Horror à sudore, non bonum.*

122. *In morbo diuturno cibi fastidium, & syncerae deiectiones, malum.*

A multa

A multa potatione rigor, & delirium, malum. 123.

A tuberculi introrsum eruptione exolutio, vomitio, & animi defectio fit. 124.

A sanguinis profluvio desipientia, aut etiam convulsio, malum. 125.

Propter ardores vehementes convulsio, aut tetanus, malum. 126.

Propter plagam in capite acceptam stupor, aut desipientia, malum. 127.

A puris sputo phthisis & fluxio: quùm verò sputum retentum fuerit, moriuntur. 128.

A forti in ulceribus pulsu hæmorrhagia, malum. 129.

A diuturno partium ad ventrem attinentium dolore, suppuratio. 130.

A syncera deiectione dysenteria, malum. 131.

Ab ossis vulnere desipientia, si in vacuum usq; penetraverit. 132.

Propter vehementem dolorem partium ad ventrem attinentium, extremarum perfrigeratio, malum. 133.

Sive os, sive cartilago, sive nervus sectus fuerit in corpore, neq; augetur, neq; coalescit. 134.

Si leucophlegmatia detento fortis diarrhæa supervenerit, morbum solvit. 135.

Quibus per diarrhæas spumosa sunt alvi excrementa, ijs à capite fit defluxio. 136.

Quibus per febres in urinis sedimenta crassiorem farinam referunt, longam invaletudinem fore significant. 137.

238. *Quibus in urinis bilioſa ſedimenta: ſed ſuprà tenuia apparuerint, acutum morbum ſignificant.*

239. *Qui ſanguinem vomunt, ſi ſine febre accidunt, ſalutarè eſt: ſi cum febre, malum. Curatio verò refrigerandi & adſtringendi vim habentibus, perficitur.*

240. *Si derepentè lingua incontinens fiat, aut aliqua corporis pars attonita ſtupeat, ſignum eſt Melancholicum.*

241. *Quibus inter ventriculum & ſeptum tranſverſum pituita concluditur, & dolorem adfert, in alterutrum ventrem viam non habens, ijs per venas in veſicam verſa pituita, morbi fit ſolutio.*

242. *Anxietudinem, oſcitationem, horrorem, vinum pari aquæ portione epotum, ſolvit.*

243. *Vbi toto corpore mutatio, & corpus refrigeratur, viciſſimq; caleſit, aut colorem alium ex alio mutat, morbi ſignificatur longitudo.*

244. *A ſanguinis vomitione, tabes & puris ſupernè purgatio.*

245. *Lingua nigra atq; cruenta, cùm quid horum ſignorum abeſt, malum validum non eſt, & imbecilliorem luctum ſignificat.*

246. *Teſtis dexter frigidus convulſusq;, mortiferum eſt.*

247. *Vngues nigri, digiti pedum frigidi, demiſſi, vel proclinati, mortem proximam eſſe oſtendunt.*

248. *Digitorum extrema frigida, mortem præ ſe ferunt.* *Et labia*

Et labia livida, reſoluta, inverſa & frigida ſi ſint, mortiferum eſt. 249.

Si oculi caligant, aut lucem adverſantur: qui ſomno multo & æſtu detinetur, extra ſpem eſt. 250.

Si quis ſenſim rabie quadam efferatur: ſi quis non cognoſcit, non audit, non intelligit, mortiferum eſt. 251.

Paulò pòſt morituris, ſigna hæc ſunt clara magis, ventriculi ſi tolluntur, tumeſcunt & inflantur. 252.

II.

De Criſibus.

Naturam cùm videris hora criſis non potentem, nocivum expellere in ſui regimine, extrinſecùs emplaſtris, embrocationibus, aut unguentis eam adiuvare poteris. Si verò ſuffecerit ad criſin faciendam, hanc operari dimitte. 253.

Criſis velox, ac vehemens motus morbi, cùm infirmus ad mortem ſalutemve deducitur, aut cùm virtus ab vtilibus nociva ſegregat, ut expulſioni præparet, circa morbi ſtatum, aut in ipſo regulariter accidit, ob id, præ cæteris horis ægritudinum, hora ſtatus dignior eſt, ut ſingulariter animadvertatur. 254.

Accidentia hora criſis apparentia, cùm in eis non ſit criſis, mortem aliàs denotant, aliàs criſin difficilem. 255.

Acciden-

156. *Accidentium morbi, quæ crisin significant, quædam sunt causa crisis, ut vomitus, alvi fluor, urina multa, sudore sanguinis fluxus, & apostemata corporis in partibus diversis, & præcipuè in emunctorijs, quædam verò tantùm ipsius crisis signa.*

157. *Quoniam omnis crisis per evacuationem fit manifestam, vel per exituram notabilem; omnis ægritudo, quæ absq; his duabus sanatur rebus, cum deteriore priore redit dispositione.*

158. *Cùm quælibet ægritudo crisin sibi habeat convenientè, adurentem febrim patiens, per sanguinis narium fluxum, aut per totius corporis sudorem, rigorem sequentem; vel per bilis multæ vomitum, sive biliosum secessum, criticat: Tertianam verò per sudorem plurimùm, vel per bilis vomitum, aut eius egestionem.*

159. *Calido cerebri apostemate febriens, per totius corporis, & capitis præsertim sudorem, aut sanguinis narium decursum, legitimè criticat.*

160. *Narium mucor, & aurium sanies, oculorumq; lacrymæ, de crisibus sunt morborum capitis.*

161. *Apostemate in iecore, aut dextro hypochondrio existente, per sanguinis fluxum è dextra naris parte salubriter crisis fit.*

162. *Apostemate in liene, vel in sinistro hypochondrio existente, post sinistræ naris hæmorrhagiam hora crisis factam, prosperius se habent.*

163. *Apostemata in gibbo epatis patientes, per unam*

unam trium harum rerum criticant, aut per naris dextræ sanguinis fluxum, vel per salubrem sudorem, sive lotium salubre, aut per duas harum, aut quandoq; per omnes. In concavo autem si fuerint, secessu bilioso, aut simili vomitu, vel sudore multo.

164. *Pectoris, pulmonis, & partium vicinarum dolor, per screatum plurimùm criticè solvitur.*

165. *Crisis laudabilis post materiæ completam accidit digestionem, ea sit in hora status, vel ante ipsam parumper.*

166. *Mors nihil aliud est, quàm morbi dominium supra naturam completum. Nam cùm natura vincit, rationi condignum est, ut salvetur ægrotus.*

167. *Propter morbi gravitatem, aut ipsius longitudinem, vel imbecillam virtutem ante horam status, mori contingit ægrotum.*

168. *Morbi paulatim sanati nulla fit crisis vera: sed materiæ peccantis consumptio.*

169. *Mala crisis completa, & mala diminuta, paulatimq; totum corpus deficcans, & illa quæ subitò fit absq; evacuatione multa, aut exitura aliqua, quatuor sunt crisium species, mortis signa demonstrantes.*

170. *Apostema nobile membrum occupans, cum plurima superfluitate crassa viscosaq;, repentè ad corporis interiora effusa, & spirituum vias oppilante, aut natura in paroxysmorum statu morbi vehementia devicta, aut virtus in ipsorum declinatione*

natione prorsus resoluta, tres sunt mortis species, quæ sine crisi contingunt.

171. Quibus ventriculus dolet hora crisis, choleræ vomitus aut phlegmatis accidit.

172. Caput, frontem, temporaq; de recenti dolentibus, annum trigesimum quintum non adhuc attingentibus, sanguinis narium fluxus hora crisis contingit. Senioribus verò factis expecta saniem, ubi dolor præsertim ad vigesimum vsq; diem ab initio duraverit.

173. Sanguinis narium fluxus ex latere dolente tempore crisis factus, laudabilis iudicatur. Ex sano verò latere si fuerit, non reputatur salubris.

174. Quibus plùs est humoris peccantis, pluribus accidentibus, & maiori agone hora crisis affliguntur.

175. Natura corporis ad crisin faciendam se præparans insolito more, perturbat ægrotum, & gravius quàm anteà, affligit totum corpus.

176. Vrinæ multæ, aut ventris obsequia, sive nimium sputum, vomitusve, aut narium fluor sanguineus, in morbi principio, sive in eius augmento, malam crisin futuram, & periculosam nunciant. In statu verò facta, prosperam & laudabilem.

177. Materia ad exteriora tendens, per sanguinis è naribus fluxum, atq; per sudorem, crisin fieri denotat. Si verò interiora petierit per vomitum, aut per ventris obsequia, mutatur.

Signa

Signa diversarum crisium apparentia, varias crises fieri, ex multis corporum partibus, demonstrant. 178.

Quæ à morbis post crisin relinquuntur, recidivos morbos facere consueverunt. 179.

Quibus crisis fit, nox, quæ accessionem procedit, gravis, quæ verò subsequitur, levior ferè solet existere. 180.

Morbi acuti iudicantur intra dies quatuordecim. 181.

Quibus die septimo futura crisis est, ijs urina rubram die quarto nubeculam habet, cæteraq; pro ratione. 182.

III.

De Diebus Criticis.

Laudabilis totius corporis sudor, sive similis urina, aut egestio multa, vel peccantis humoris vomitus, aut fluxus sanguinis narium, matricisve, aut marisearum, sive exitura in molli carne magna, velut in emunctorijs, aut iuncturis quibusdam, sive in sedibus alijs facta, in diebus criticis, signa sunt laudabilia. 183.

Quoniam crisis sæpius fit in hora graviori febris, qui gravius affliguntur in diebus imparibus, in ipsis criticant. Qui verò in paribus, criticant in paribus. 184.

Mortale

185. *Mortale signum apparens in quarto die morbi, malam crisin denunciat in septimo fieri. Si verò inter quartum & septimum ipsum nocumentum ceciderit non parvum, ad septimum usq; non tardabitur crisis: sed in altero dierum mediorum accedet crisis mala.*

186. *Die septima cave cibum exhibeas, & in præcedenti immediatè septimum de eo minus quicquam, ne virtutem impedias, circa morbum his diebus ut plurimùm occupatam.*

187. *Quò crudior, atq; crassior humor est: eò tardior crisis, & contrà.*

188. *Acuti morbi prima die non soluti, solvuntur in quarta; & qui non in quarta, solvuntur in septimo; & qui non in septimo, in vndecimo debent solvi; sed qui non in vndecimo, in die decimoquarto fit eorum regularis solutio.*

189. *Crisis est velox, & vehemens motus morbi ad salutem, vel ad mortem, cum accidentium difficultate. Nulla enim totius ægritudinis periculosior est, quàm hora crisis.*

190. *Morbus qui non est ex materia, non facit crisin, vt qui sunt ex inanitione.*

191. *Quatuor sunt, quæ Medicum in cognitionem crisis ducunt: motus materiæ, virtus infirmi, species morbi, & tempus anni.*

192. *Sudor & urina, pariter solutio ventris, sanguis, apostema, vomitus, sunt critica signa.*

193. *Si in diebus criticis æger incipiat sudare, videndum*

videndum est, ne æger perturbetur, aut cogatur ad aliud, sed omninò liber sit, cum bono animo sudet copiosè, neq; pluribus vestimentis cooperiatur.

194. *Index septimi quartus, sequentis septimanæ octauus initium. Spectandus quoq; est undecimus, siquidem is secundæ septimanæ quartus est. Rursumq; decimus septimus spectandus. Is enim à quatuordecimo quartus est, & ab undecimo septimus.*

195. *In diebus criticis non est natura impedienda, neq; cum phlebotomia, neq; cum medicinis solutivis.*

IIII.
De Pulsibus.

196. *Vt corporis affectus se habet: sic pulsus arteriæ cordis motibus incitatur.*

197. *Vndosus pulsus, atq; insigniter mollis, futuros sudores indicat.*

198. *Pulsus in calida complexione, magnus est, celer & frequens, in frigida, parvus & tardus, in humida, profundus, latus, inæqualis & mollis: in sicca, angustus & durus. Hinc iudicare potes de complexionibus compositis.*

199. *Macilentorum pulsus, maior & fortior est, pinguiorum pulsu. In his enim situs arteriæ profundior est. In carnosis verò celer est, magnus, & mollis.*

220. Puerorum pulsus celer est & crassus; adolescentum magnus; senum parvi, tardi & tenues. Virorum pulsus fortiores, quàm mulierum, vnò etiam maiores Tardiores verò & tenuiores virorum, quàm mulierum.

221. In Vere pulsus parvus & fortis; in æstate parvus, celer & crassus; in autumno fortis, mollis & tardus; in hyeme tenuis & debilis.

APHORISMORVM MEDICINALIVM, SECTIO SEXTA.

I.

De Victu.

1. *Victus rationem optimam esse Medicinam*, Divinus Hippocrates noster verissimè pronunciat.

2. Diætetica Medicina præstantior est pharmaceutica & chirurgica.

3. Si sola victus ratione citra pharmacum mederi datur, nihil neq; prius, neq; rectius.

4. Qui recta victus ratione utuntur, nec vomitu, nec alvi purgatione indigent.

Neq;

Neq; supervacua nutritione oneranda, neq; tenui corpora debilitanda sunt. 5.

Cùm morbi noticiam habueris, secundum virtutis tenorem, & ægri consuetudinem diætare oportet. 6.

Victus tenuis & exquisitus, in morbis longis semper, in acutis verò vbi non convenit, parum tutus. Vrsumq; victus qui ad extremam pervenerit tenuitatem, molestus: Siquidem quæ ad summam plenitudinem perductæ sunt repletiones, molestæ. 7.

In victu tenui peccant ægroti, quò fit, ut magis lædantur. Siquidem quodvis peccatum gravius hìc, quàm in paulò pleniori victu esse solet. Eadem de causa sanis etiam valdè tenuis, stataq; & exquisita victus ratio parum tuta, quia errata gravius ferunt. Quare tenuis exactusq; victus paulò pleniori existit maxima ex parte periculosior. 8.

Cùm itaq; morbus peracutus est, extremos protinus labores habet, summèq; tenuissimo victu utendum est: cùm vero non est, sed pleniorem victum licet exhibere, tantùm de extrema victus tenuis ratione remittendum, quantò extremis morbis fuerit remissior. 9.

Cùm morbi vis est maxima, tùm vel tenuissimo victu utendum est. 10.

Sed & ex ægroto coniecturam facere oportet, an is cum præscripto victu præstet ad morbi usq; 11.

vigorem, anvè prius deficiat, imparq; cum tali victu succumbat, quàm cedat morbus & obtundatur.

12. Quibus itaq; vigor statim futurus est, tenuiter statim alere oportet: quibus autem posteriùs, & in ipso vigoris tempore, & paulò sub ipsum de victu demendum. Antea verò pleniùs alendum, ut ægrotus perferre queat.

13. In ipsis tamen exacerbationibus cibum adimere oportet, nam præbere noxium. Et cùm per circuitus redeunt morbi, in ipsis accessionibus abstinendum.

14. Qui crescunt, plurimùm habent calidi nativi: itaq; copioso cùm egeant alimento, abundè ipsis suppeditare oportet, alioqui corpus consumitur. In senibus verò inest caloris parum, paucis propterea succendiculis egent. Exiguus namq; ignis fomitis extinguitur multitudine. Ob eandem causam nec senibus febres perindè acutæ fiunt: frigidum enim eorum corpus.

15. Ventres hyeme ac Vere natura calidissimi, & somni longissimi. Per ea igitur tempora plus cibi dare oportet, siquidem plus nativi caloris habent. Quò fit ut copiosiore alimento egeant, argumento sunt ætates & athletæ.

16. Victus humidus cùm febricitantibus omnibus, tùm pueris maximè atq; alijs, qui tali victu uti consuevêre, utilis.

17. Quos etiam semel aut bis, aut plus minusvè & minutati malere conveniat, spectandum. Dandum

dum verò aliquid tempori, regioni, ætati & consuetudini.

Æstate & autumno cibum copiosiorem ferunt 18.
difficilimè, Hyeme facilimè, Vere minùs.

Quibus per statos circuitus accessiones fiunt, 19.
nihil dare, nec cogere, sed demere oportet ante iudicationes.

Quæ longo tempore extenuata sunt corpora, 20.
sensim reficere oportet, quæ verò brevi, repentè.

Si à morbo cibum adhibens quispiam vires 21.
non recipiat, copiosiore alimento corpus onerari indicat: si verò modicè epulanti idem eveniat, vacuatione indigere sciendum est.

Impura corpora quò plùs nutriveris, eò ma- 22.
gis læseris.

Vbi præter naturam copiosior cibus ingestus 23.
est, morbum inde creari, indicat sanatio.

Eorum quæ confertim & celeriter alunt, 24.
celeres etiam excretiones esse solent.

Si à morbo bellè comedenti corpus non pro- 25.
ficiat, malum.

Qui adversa valetudine abundè initio come- 26.
dunt, nec proficiunt, ij ferè tandem omnes in cibi fastidium incidunt: Contrà qui initio forti inedia usi, cibum postea appetere incipiunt, invaletudine facilius liberantur.

Paulò peior, sed suavior cibus & potus, me- 27.
liori quidem, sed ingrato præferendus. Quæcunq; enim cum voluptate assumuntur, ista ventricu-

 lus am-

lus amplexatur & magis concoquit; ſicuti illa quæ diſplicent refugit, unde nauſeæ, flatus & fluctuatio.

28. Quibus tubercula ad articulos, vel labores poſt febres fiunt, ij cibarijs pluribus utuntur.

29. In cibis offerendis, virium robur diligenter perpendendum.

30. Ventre conſtipato cibus non offeratur: Sic enim cibus non poteſt deſcendere, & ſic fiunt exhalationes ad caput.

31. In morbi principio æger cibandus eſt parcè, & victus hic eſt tenuis: in augmento parciùs, & eſt tenuior: in ſtatu parciſſimè, eſtq; tenuiſſimus; & in declinatione modicè, ac modicus dicitur.

32. Qui ventriculum debilem habet, ille per diem ſæpè nutriatur; & ſemel parum cibi eu-chymi, qui ſit facilis concoctionis, aſſumatur, ne paucus ſtomachi calor à cibi copia obruatur, & extinguatur. Idem de reconvaleſcentibus intelligatur.

33. Æger ſemper tempore minoris afflictionis debet cibari: ſic enim virtus circa materiam exuperantem minus eſt occupata, & cibum melius complectitur. Nonnunquam tamen in ſtatu, ubi afflictio eſt intenſiſſima, & accidentia vehementiſſima ſunt, præſertim in corporibus ſiccis, & facilè reſolubilibus, cibum offerre cogimur, ne virtus proſternatur, ob immodicam ſpirituum ac caloris nativi reſolutionem.

Corpora

Corpora cholerica, cùm ſunt ſicca & ema- 34.
cida, ac valdè reſolubilia, præſertim ſi in labore ac vigilijs vitam degerunt, ſtatim ſunt cibanda, etiam in ipſo paroxyſmo, & quacunq; hora occurrit Medicus. Si enim non confeſtim cibo reficiuntur & humectantur, tùm aut cadunt in ſyncopem, & moriuntur in paroxyſmo, ob magnam reſolutionem; aut fiunt confeſtim hectici, ob magnam exiccationem.

Conſuetudo etiam in præſcribenda diæta 35.
conſideranda. Nam crapuloſis non temerè eſt inedia iniungenda, & tenuis diæta præſcribenda. Quicunq; enim error committitur magnus, maior in hoc fit, ſcilicet tenuiori victu, quam in paulò pleniori.

In morbis virtute exiſtente debili, ob humo- 36.
rum & ſpirituum magnam reſolutionem, æger cibo reficiendus eſt, aliàs virtus proſternitur. Virtus enim, & non Medicus, curat morbos. Sed quandò virtutis adeſt debilitas, ob materiæ copiam virtutem opprimentem, hìc inedia imperanda eſt.

Panis lavetur cum aqua hordei, ad edu- 37.
ctionem ſalis ac fermenti, quoniam in morbis acutis exhibitio panis non loti eſt nociva, & in apoſtematibus intrinſecis magis, quoniam facit adrupturam apoſtematis ante maturationem.

Quibus cibus in ſtomacho aceſcit, illis non 38.
eſt offerenda aqua hordei; & ſi in eiuſmodi

frigido ventriculo offerre volueris, tùm radix apij & parum piperis addatur.

II.

De Regimine puerorum.

39. *Quoniam eius naturam, à quo nutrimur, ſuſcipimus, bonorum morum nutrix, bonæq; corporis diſpoſitionis, ac mediocris ætatis, ſemper eſt eligenda.*

40. *Bono cibo nutrices ſi nutriantur, bonum lac generant, bonoſq; dant ipſi nutrito ſuccos.*

41. *Solo lacte paſcendus eſt infans, vſq; quò dentes anteriores producat.*

42. *Vt hœdi lacte ovino nutriti pilum gignunt teneriorem; Et agni lacte caprarum aliti lanam ferunt duriorem: ſic nati alienis matribus educati, à proprijs matrum naturis multùm diſcrepant.*

43. *Quæ ſuos fœtus deſerunt, ablegantq; à ſeſe, & alijs nutriendos dant, vinculum animi atq; amoris, quo parentes cum filijs natura conſociavit, dirimunt.*

44. *Moderatus fletus ante pueri lactationem ad membra ſpiritalia dilatanda, cæteraq; confortanda, & ad caput purgandum convenit.*

45. *Cùm ignem igni addere non liceat, vinum propterea pueris non guſtandum.*

46. *Vinum & cereviſia inimica ſunt pueris: Nam*

Nam eorum capita malo vapore replent, & calefaciendo mentem eorum perturbant.

III.

De Regimine ſenum.

Senes omnes indigent exercitio moderato, 47.
ne nativus eorum calor extinguatur. Eorum enim calidum flabellari ſemper indiget. Cavenda tamen omnimoda quies, & motus admodũ vehemens.

Senes immoderatè ſecundum quantum, aut 48.
quale diætati, haud parvum incurrunt nocumentum. Iuvenibus autem maximis in peccatis minor fit læſio.

Non omnibus ſenibus eſt lac exhibendum: 49.
ſed ſolummodò ijs, qui id benè digerunt, & ſymptoma nullum inde ſentiunt in hypochondrijs.

Cibaria temperata, concoctu facilia, natu- 50.
ris ſenum præ cæteris conveniunt.

Subtilis ſubſtantiæ vinum prodeſt ſenibus. 51.
Omnia enim membra eorum calefacit, & ſanguinis ſerum ſubducit per urinam.

Carnium columbarum, turturumq; & paſſe- 52.
rum uſus, præ cæteris carnibus ſenibus, & ijs quibus ſanguis modicus eſt, cum odorifero vino convenit. Bilioſis verò & acutè febrientibus nequaquam.

Plurimùm falluntur, qui ſenum corpora exic- 53.
canda eſſe putant.

IIII.

De vario genere ciborũ,& potus.

54. Quò simplicior victus ratio,eò naturæ convenientior.

55. In omni re naturali est quædam vis naturalis, quæ res sibi convenientes attrahit, ac repellit nocivas.

56. Cibariorum quæcunq; natura sunt plùs iusto calida, bilioſiora sunt; quæ verò frigidiora, hæc pituitoſiora sunt.

57. Nulla res attrahit aliquid propter ipsum attrahere: sed ut eo voluptuetur, ideoq; citiùs fit attractio.

58. Commune est hominibus, cæterisq; animantibus, cor quidem à iecore, iecur verò ab inteſtinis, & ventriculo, nutrimentum attrahere. Nam membrum fortiſſimum trahit ad se conveniens ab imbecilliori, & ad imbecillum suum superfluum mittit.

59. Singula quæq; noſtri corporis membra, à similibus animalium membris, ab humana natura non longè diſtantium, conveniens alimentum suæ craſi suſcipiunt; hac de cauſa cerebrum cerebro, iecur iecori, & cor cordi convenit.

60. Quibus æquale temperamentum, his quantò iucundius fuerit quod comedunt; id tantò utiq; fit illis magis nutriens.

Qui

Qui nimio cibo utuntur,corpora non augent. 61.

Proſpiciendum semper est, ut eorum, quæ e- 62.
duntur & bibuntur, reſpectu eorum, quæ expelluntur, conveniens semper servetur mediocritas.

In omni nutritione,id quod nutritur, opor- 63.
tet attrahere, & congregare particulas sibi similiores, quæ sunt in eo, à quo fit nutritio, hinc & illinc diſſeminatæ. Simile ob id naturâ tendit ad suum simile.

Quæ facilè digeruntur, facilè etiam cor- 64.
rumpuntur. Durè verò digeſtibilia difficulter sunt alterabilia, & tardè corruptibilia.

Humidius alimentum,ut diſtribuitur citiùs; 65.
ita citiùs etiam evaporat.

Quò acutiores morbi sunt, eò minùs cibo 66.
indigent.

Quoniam omne animal neceſſe est nutriri, 67.
& ciborum ſubſtantia non sit tota nutritiva,paratæ sunt aliquæ corporis particulæ ad superflui excretionem, & eius expulſionem.

Panis fermentatus ex sano frumento arte 68.
debitè coctus & conditus, & convenienti tempore comeſtus, gallinarumq; caro, & caput annualis hœdi, piſceſq; non viſcoſi, duri carne, & aquæ liberæ,ova sorbilia recentia, gallorum iuuenũ teſticuli,carnis ſuccus,& odoriferũ vinũ,alimenta sunt boni nutrimenti,inter craſſum & ſubtile tẽperata.

Ex volatilibus optimæ sunt perdices, cum 69.
omnibus montanis auibus, gallinæ & phaſiani,

columbæq;

columbæq; ſylveſtres, carnes quoq; porcinæ in ſaltibus enutritæ, & ſimiliter hœdi. Superfluitate autem abundant omnia paludoſa & ſtagnea, ſive non exercitata. Frigida enim ſunt animalia vetera & recens nata.

70. Cibariorum omnium, ipſæ porcorum carnes maximè ſunt nutritivæ: veruntamen craſſioris ſucci, ac viſcoſioris multis alijs ſunt generativæ, tardioriſq; digeſtionis.

71. Plus eſt alimenti in carne, quàm in ullo alio cibo.

72. Corpora humida parum comedunt, plurimùm egerunt, difficulter curantur.

73. Præſtat cum diæta potiùs curare, ſi fieri poſſit, quàm cum pharmacis.

74. Inter domeſticas quadrupedes leviſſima caro ſuilla eſt, graviſſima bubula.

75. Omne ferum animal domeſtico levius, & quodcunq; humido cœlo, quàm quod ſicco natum eſt.

76. Ex feris quò maius quodq; animal, eò robuſtior ex eo cibus eſt.

77. Omne animal quadrupes, ſi lactans eſt, minus alimenti præſtat.

78. Bovinæ, vrſinæ, cervinæ, ac leporum carnes, & præſertim veterum animalium, atræ bilis excitant morbos.

79. Carnes caprinæ iuvenes per æſtatem optimæ, per autumnum verò peſſimæ.

Carnes

Carnes porcinæ malæ, ſuillæ verò ſemota cute aliis ſunt meliores, ſubfrigidæ tamen edendæ ſunt. 80.

Maſculorum carnes, (exceptis caprinis) fœminarum carnibus meliores habentur: Caſtratorum verò inter utrasq; mediant. Et caſtratorum volatilium omnium ambulantium carnibus laudabiliores fiunt. 81.

Exercitatorum animalium carnes, non exercitatorum carnibus ſaniores reputantur. 82.

Omnium animalium interiora, cerebraq;, & aves in paludibus degentes, ac cicera recentia, nec non fabæ virides, & caro lactantis animalis, ſive non exercitati, atq; etiam piſces, & carnes anſerum, multorum ſunt excrementorum. 83.

Animalium omniũ partes exteriores, partibus interioribus, dextræq; ſiniſtris, prævalere dicuntur. 84.

Cerebrum comeſtum humoris pituitoſi generativum eſt, ac facilè putreſcit, cui adeps & medulla non longè abſimilantur.

Aurium, narium, cutis, gutturis, & ſimilium cartilaginoſorum carnes pinguedine privatæ cum labore decoquuntur, ſanguinemq; peſſimum gignunt, ac modici nutrimenti. Labra tamen auribus laudabiliora fiunt. Linguæ quidem nutrimentum mediocre, & lactantium etiam cutes pauci viſcoſiq; alimenti ſunt. 85.

Pedit antium, volatilium, natatilium oculi, ut pituitoſi nutrimenti ſunt; ita tardi deſcenſus. 86.

Pedes

103. *Non sunt nociva utilibus miscenda, cùm utilibus solis absq; nocivis posimus uti liberè.*

104. *Mensæ brevitas & bonorum ciborum paucitas, magis quàm horum diversitas, sana corpora faciunt.*

105. *In omnibus observanda est consuetudo, ad mala duntaxat non perducat tandem accidentia.*

106. *Vt omnis suspicio corruptionis nutrientium tollatur, ac sanitas cum paucitate ac simplicitate servetur, nihil quidem securius est, quàm ciborum varietatem, & ipsorum multitudinem penitus effugere.*

107. *Nutrientia, quæ in regionibus connaturalibus crescunt, hominum illarum regionum temperaturis salubriora sunt, magis quàm illa, quæ distantium ac diversorum sunt climatum, ob id gallica vina Gallorum naturis, Italica Italorum conformiora putantur.*

108. *Cibus quò magis delectat cùm accipitur, eò etiam maiori cum voluptate à ventriculo suscipitur, retinetur, meliùsq; quovis alio digeritur. Si verò abominabilis est, natura ipsum renuit, vomitus, fastidiumq; causatur, & inflatio.*

109. *Horribilia in sapore vel odore humanæ complexioni adversissima sunt, pessimiq; nutrimenti, ut excellenter styptica, acetosa, amara, acuta & salsa, eapropter si necesse fuerit his uti, modica quantitate, atq; paucis vicibus ac repressis est utendum.*

Vina

110. *Vina naturæ aquosæ & substantiæ subtilis, urinas facilè movent, purissimum perindè dant alimentum corpori. Quæcunq; verò crassa, potentiùs nutriunt. Ad euchymiam meliora odorifera, clara; sed caput feriunt. Recentiora autem, & antiqua nimis, fugienda sunt penitus: Illa enim superfluè calefaciunt, ista verò minimè.*

111. *Vina aquosa omnia insensibiliter refrigerant, urinam ac sudorem provocant, humectant, concoctionemq; iuvant, & pauciss imum corpori nutrimentum afferunt.*

112. *Vetus vinum impinguatis contrarium, album autem & subtile illis convenit.*

113. *Dulce vinum non adeò, ut vinosum, capiti nocet, minusq; mentem tentat; iecur tamen & lienem infarcit, & in tumorem attollit, & ijs qui amara bile abundant, haud utile est.*

114. *In ventriculo lacte existente, vinum bibendum non est, & econtrà.*

115. *Quoniam vinum ea, quæ in membrorum ductibus invenit, citò penetrare facit, ideò post pastum, aut laborioſum exercitium, sive cibos mali chymi, non est illicò assumendum.*

116. *Secundum varias corporum habitudines, varios mores, varioſq; affectus in ipsis vinum reddere solet. Nam id quidem immodicè bibitum alios iracundos, humanos alios, alios misericordes, audaces alios, alios eloquentes, aliosq; taciturnos facit.*

117. Dulce vinum albo minus urinam cit, sed nullum aliud efficaciùs sputum promovet.

118. Fulvum vinum, nigrum & austerum, capitis gravitatem inducit, mentem tentat, & urinæ atq; sputi exitum impedit.

119. A vino albo, & reliquis id genus, tùm maximè abstinendum, cùm alvi excrementa & mollia, & ramentosa fuerint.

120. Cùm vinum in acetum convertitur, eius vinosæ partes acquirunt frigiditatem, & eius superfluitas aquosa, quando ipsum putrefit, acquirit caliditatem. Hanc ob rem acetum est res composita ex partibus contrarijs ultima contrarietate.

121. Aqua, cuius fons est ad orientem Solem, erumpens per liberum transitum, & mundum, & quæ per puram colatur arenam, caletq; & friget ocyssimè, omni ætati cæteris aquis longè salubrior & præstantior æstimanda est.

122. Aqua levissima pluvialis est, deinde fontana, cùm ex flumine, tùm ex puteo, post hæc ex nive & glacie, gravior his ex lacte, gravissima ex palude. Eò melior quoq; est, quò celeriùs calefit & frigescit.

123. Aqua quæ citò calefit & citò refrigeratur, levissima.

124. Aqua frigida per se tardiùs permeat, & distribuitur, sed cum vino commixta optimè penetrat, & sitim mitigat.

125. Incommoda aquæ hæc potissimùm sunt: Lienem &

nem & iecur attollit, fluctuat, supernatat, tardè transmittitur, utpote si frigida, & concoctu difficilis est, non ducit alvum, nec urinam ciet.

126. Lac præbere capite dolentibus, febriculosis, & quibus hypochondria elata, aut murmurantia, & siticulosis malum. Malum item quibus biliosæ deiectiones, febres acutæ, & copiosa sanguinis vacuatio facta est. Conveniunt verò tabidis non admodum valdè febricitantibus, & febribus longis & languidis, dum nullum ex supra dictis signis adsit, & præter rationem extenuatis.

127. Quibus noctu bibendi est aviditas, ijs admodum sitientibus obdormiscere bono est.

128. Æquali cibo & potu virtuti, debent vires corporis reficì, & non superfluo opprimi.

129. Epularum amplitudo, & ipsarum diversitas, frangunt corpus, & enervant vires, hanc ob rem dimittendæ sunt. Varij namq; cibi edantur licet facilius, gravius tamen decoquuntur.

130. Saporum & embammatum delectamenta, ad voluptatem magis, quàm ad utilitatem à cupedinarijs primitùs adinventa fuerunt, quæ interdum plurima adferunt incommoda.

131. Cùm omnis excessus sit fugiendus, maximè hunc fugere oportet, ex quo non modò corpori, verumetiam animi damnum accidere potest.

132. Quoniam hominum corpora continuò dissolvuntur, non solùm ab innato calore, sed etiam extrinseco, necesse est id, quod ab ijs dissolvitur con-

tinuò reſtaurari, & hoc cibis & potibus ſit craſi ſuæ ſimilibus.

133. Nullum cibi genus adeò naturæ ſimile eſt, quin in ſe aliquid excrementi habeat, ob id quodlibet corpus aliquo ſemper indiget, quo tale ſecrementum ab ipſo educatur.

134. Quoniam omne ſimile ſuo nutritur ſimili; calida calidis, frigidaq; frigidis, & ſimilia ſimilibus nutriantur oportet.

135. Cùm unuſquiſq; ſecundum ſuum vivendi modum regendus ſit, uſitata ſtomacho his aſſueto meliora iudicantur, etſi multis inaſſuetis deteriora ſint.

136. Temperata corpora cibis temperatis conſervantur: Diſtemperata verò contrarijs ac diſtemperatis.

137. Omnia cibaria plus æquo ſuperfluitates generantia, aut humores plus iuſto augmentantia, ab omnibus ſunt dimittenda, minuenda, aut ad minus non continuanda.

138. Secundum hominis naturam, ætatem, exercitium, anni tempus & morbi genus, victum mutare debes, modò addendo, modò demendo.

139. Calida & humida corpora cibum cæteris meliùs commutant, ſibiq; aſſimilant: Frigida autem & ſicca, cæteris deteriùs.

140. Vt à liquore fœtido vas mundum inficitur, & contrà: ſic à corpore mala qualitate affecto, boni ſucci cibi corrumpuntur.

Ægritu-

Ægritudines acutæ & breves, tenuem diætam ſuſtinent: chronicæ verò renuunt. 141.

In quolibet morbi tempore, ſecundum virtutis robur, ægri reficiendi ſunt. 142.

Virtute decoquendi cibaria debili exiſtente, appetitusq; carentia, varietate ſollicitandus patiens non eſt, ut plus ciborum aſſumat, quàm concoquere poſſit. 143.

Quoniam nefas eſt augere malum malo, regimine morbis contrario diætabis ægrotantes. 144.

Ciborum potuumq; cibalium medicatio, illa, quæ ſit medicinis puris, longè melior tutiorq; eſſe creditur. 145.

Multùm laborantibus, cibi plures & craſſiores conveniunt, parum pauci & ſubtiles, & mediocriter mediocres. 146.

V.

De regiminis mutatione ſecundum quadrifariam temporum anni diverſitatem.

Hyeme cibi plurimum, potusq; minimùm ſumere oportet. Sit autem vinum quàm meraciſſimum. Cibi panis, & omnia obſonia aſſa, oleribus per id tempus parciſſimè utendum eſt. 147.

Vere potu largiore, vino diluto, cibis molliorib⁹, & parcioribus uti convenit. 148.

Æſtate molli cibo, potu dilutiore & largiore, & omni- 149.

& omnibus obsonijs elixis ali expedit; Oleribus etiam coctis & crudis, ut corpus refrigeretur & emolliatur.

150. In autumno cibi plures debent esse & sicciores, obsonia sicciora, pro temporis ratione, potus autem fortiores & meraciores.

151. Anni temporum discrimen diætæ varietate indiget, in frigidis calida, & frigida in calidis administranda.

152. In hyeme nutriens actu calidum assumendum: in æstate actu moderatè frigidum.

153. Vespere & mane corpora reficienda sunt, æstate præsertim, cum digestivus calor his horis ab externo frigore roboretur.

154. Manducandi appetitu insurgente, illicò manducandum est.

155. Secunda mensa bono stomacho nihil nocet, in imbecilli acescit.

156. Levior piscis inter saxa editus, quàm in arena, levior in arena, quàm in limo.

157. Pinguia, quàm macra, recentia, quàm salsa, nova, quam vetusta plus alimenti habent.

158. Res eadem magis alit iurulenta, quàm assa, magis assa, quàm frixa.

159. In morbis acutis ptisana rectissimè cæteris, quæ ex frugibus constant, pulmentarijs antefertur.

160. Non dabis ptisanam his, quibus cibus adhuc recens conclusus est, quibus laterum dolor continuus, atq; calidis fomentis non levatur, neq; procedit

cedit sputum; sed lentum & incoctum est. Ptisanam quoq; ministrare vetant venæsectio, medicamentum, & clyster.

161. Aqua mulsa pulmonem inprimis lenit, sputum mediocriter educit, & propter abstergendi facultatem tussientibus quoq; utilis est. Vrinam efficaciter cit, nisi viscosum aliquid obstiterit, alvi biliosa excrementa educit.

162. Aqua mulsa à ptisanæ sorbitione epota vehementer replet & inflat, visceraq; in præcordijs lædit.

163. Mulieribus siccior victus ex usu est, etenim cibus siccus, ac potio meracior, carnes molliores habentibus idonea sunt.

164. Ex itinere fatigatis, vel laborantibus, aut à balneo venientibus, frigidus potus pernicioſissimus est.

VI.

De Confortantibus.

165. Confortativæ confectiones, cum cibo, ante cibum, & post cibum, ad libitum ægrotantis sumi condecenter possunt.

166. Alimenta resumptiva, humectantia balnea, & quies mentis, corporis habitudinem reparant, accidentaliter diminutam.

167. Facilius est potu refici, quàm cibo.

168. Sobrietas & perfecta digestio corroborant membra convalescentis.

159. *In confortantibus Electuarijs & confectionibus melancholicis affectibus, ſemper quoq; unà humectans medicamentum, ut conſerva violarum, &c. coniungatur.*

APHORISMORVM MEDICINALIVM, SECTIO SEPTIMA.

I.

De Medicamentis.

1. *REmedia cognita non ſunt novis poſtponenda.*

2. *Fidere experimento citra rationem, periculoſum eſt.*

3. *Scelus eſſe, Arnoldus pronunciat, compoſitis medicamẽtis uti, cùm ſimplicia iuvare poſſunt.*

4. *Sine noticia certa virtutum medicinarum, quibus indies utimur, impoſsibile eſt debitè auxiliari ijs, qui ipſis indigent.*

5. *Ad vſum auxiliorum ſcire expedit Medico membrorum corporis ſitum, ſubſtantiam, colligantiam, uſum, compoſitionem, numerum & magnitudinem.*

6. *Plurimùm refert Medicum malignarum & incolumium medicinarum differentias ac virtutes ſcire,*

ſcire, ut malignarum malitiam, dum ijs uti convenit, dextrè corrigere; Incolumitatem verò bonarum & ſalubrium roborare, & ad loca illis egentia aptè dirigere ſciat.

7. *Ne pharmaci malitia nocumentum membris purgandis inferat, antequam exhibeantur, quibuſdam ea confortanda ſunt, atq; viæ ipſorum aperiendæ, & materia peccans præparanda, quò virtus adiuta pharmaco ipſam è corpore facilius excludere valeat.*

8. *Qui methodum in omnibus nimium pertinaciter exquirit, pariter cum morbo plerumq; hominem de medio tollit.*

9. *Ad extremos morbos, extrema exquiſitè comparata remedia optima.*

10. *Satius eſſe anceps remedium, quàm nullum experiri, Celſus cenſet.*

11. *Ne cibus & medicina mutuò ſe impediant, altero in ventriculo exiſtente, alterum miniſtrare non licet.*

12. *Ægrotantis animum cùm videas medicinæ repugnantem, & ab ea planè abhorrere, ad hanc accipiendam noli ipſum invitum compellere.*

Cùm ſolutivum aliquod recuſaverit patiens, aliud, què eandem materiam peccantem evacuare poſsit, miniſtrabis.

13. *Non omnibus eadem remedia conveniunt. Quid verò conveniat, videre prudentis Medici eſt.*

15. Opiata, nisi purgato corpore, sive hoc à natura fiat, sive etiam ab arte, & nisi urgente necessitate adhiberi non debent.

16. Capiti frigidum epithema, emplastrumvè, aut aliud simile applicatum, priusquàm à cerebro calefiat, removendum. Calida verò antequam frigescant.

17. Iecoris epithemata, & quæ fronti applicantur remedia extranea, cæteraq; localia (ut vocant) remedia, purgato corpore, & ea particula, cui applicantur, tutiùs admoventur.

18. Peregrina remedia semper quærere, ostentationis indicium. Chemicis verò uti, nisi chemica intelligas, periculosum.

19. Cùm virtus illa sit, quæ morbos adimit corporis, si impotens, aut nimiùm debilitata fuerit, medicinam ad actum deducere non potest, quare refocillanda erit.

20. Semper cavendum, ne medicamentis calidum innatum, humidum radicale, vel princeps membrum lædatur.

21. Cùm solutivorum doses virtuti, naturæq; indigentium semper debeant æquari, certam dosin cuiuslibet solutivi, ac ipsius potentiam exactè scire Medicum oportet; alioqui multos perducet experiundo ad interitum.

22. Etsi pharmacorum doses determinatæ à Medicis describantur: robur tamen virtutis & eius imbecillitas, alviq; facilitas aut difficultas illius, frequenter has variare solent. Debita

Debita medici ordinatio nihil prodest ægrotanti, si vitio medicinæ, vel pharmacopolæ vitietur. 23.

Cùm sensus gustus exactiùs, quàm visus, aut olfactus, medicinarum facultates appræhendat, ex saporibus certiora ipsarum indicia, quàm ex coloribus, vel odoribus, habentur. 24.

Theriaca, similiaq; antidota, senibus oppilationes habentibus, ventribus præpurgatis, congruè ministrantur. 25.

Vnica quandoq; & simplex medicina melius morbis occurrit, quã ex multis & diversis cõposita. 26.

Inter cibum & medicamentum hoc discriminis est: Nam ipsa medicina corpus ipsum alterat, cibus verò corporis substantiæ similis ipsum corpus nutrit. 27.

Frequens usus pharmaciæ vires corporis frangit, seniumq; accelerat. 28.

Cùm fortis medicina recens tibi deficit, duplum veteris debilis loco eius erit administrandum. 29.

Vna sæpè medicina in corporibus diversis varios producit effectus, & hoc propter variam corporis dispositionem. 30.

Torsionem ventris faciens, & non competenter solvens pharmacum præassumptum, clysterе subductivo, potionevè decocti masticis, aut aqua tepida iuvatur. 31.

A pharmaco solutivo succi peccantes moti, & non evacuati, alteram succorum massam citissimè inficiunt. 32.

Quæ

33. *Quæ inter corpora, & medicinas concurrunt proprietates, experimento ſolo à Medicis dignoſcuntur.*

34. *Quale eſt pharmacum epati abſinthium; tale eſt ſpleni capparis cortex. Et quale epati eupatorium: tale eſt ſpleni ſcolopendrium.*

35. *Natura repugnante Medicina nil prodeſt.*

36. *Medicamentis uti non vrgente neceßitate ſupervacaneum, & nocivum eſt.*

37. *Cognitis medicamentis utendum eſt, quorum haberi copia poteſt, & quæ non es expertus omitte. At hodiè peregrina quæq; delectant.*

38. *Medicamenta pauca tibi tenenda ſunt, & quorum operationes, & vires iam multoties es expertus. Totius enim multitudinis noticia eſt incompræhenſibilis, ne cùm per ſingula volueris inquirendo diſcurrere, multiplici diverſitate diſtractus, neſcias cui debeas adhærere.*

39. *Creber uſus pharmacorum, præſertim in primis annis, celerem inducit ſenectutem.*

40. *Peccat is, qui cùm poßit mederi ſimplicibus, ad compoſitiones confugit.*

41. *Quantò plura confunduntur in compoſitione medicamina: tantò hebetior haud dubiò eius redditur effectus.*

42. *Quæ naturæ amica ſunt medicamina, copioſiora, & liberaliùs; quæ verò adverſaria, adminiſtrato parciùs. Eſt enim Medicus adiutor tantùm naturæ, non deſtructor.*

Sicut

Sicut medicamenta, quæ propinqua membra reſpiciunt, in minori: ita quæ remota concernunt, maiori quantitate donantur. 43.

Fortis Medicina recidivam facit. 44.

II.

De tempore, & modo exhibendi medicinas.

Lenitivæ medicinæ, non ſunt humorum agitativæ, ideò tutò in morborum principijs exhibentur. 45.

Electuaria ſolutiva, ſimileſvè medicinæ, quovis modo exhibeantur, ſunt cibo præmittendæ, quia antequam abſolverint operationem, nunquam is aſſumendus eſt. Vomitiva verò ſtomacho varijs cibis repleto, tutiùs exhibentur. 46.

Debilibus catharticis ſuperdormiendum non eſt. Talium enim vires, quæ alioqui debiles ſunt, ſomnus deprimit. Fortia verò ſomnum admittunt, vt eorum fortitudo debilitetur. 47.

Medicinam ſolutivam cruda morbi exiſtente materia, non oportet exhibere, neq; ipſam commovere in ipſius principio, dum ipſa non furiat. Si verò multa fuerit, aut etiam furioſa, ante ſui coctionem legitimè adminiſtratur. Nam motus humiditatum in corpore vigentium adiuvat Medicinam, quæ tunc has facilè trahit. 48.

Ne

49. Ne cibus indigestus à stomacho ad epar ducatur, ipso cibis repleto, sive cacochymico, syrupos, iulepòsvè, nequaquam ministrabis: sed vacuo vel purgato.

50. Tardiorem syrupi, vel iulepi descensum à ventriculo fieri si cupias, pulveres aliquos priùs administrato: si verò velociorem, ipsos pulveribus præpones.

51. Catapotia inveterata & desiccata, priusquàm deglutiantur, humectanda sunt per noctem in aqua calida.

III.

De quantitate medicamentorum.

52. Cùm pravos & superfluos succos volueris à cerebro, & membris à ventriculo remotis extrahere, maiores exhibebis pillulas, aut fortius pharmacum. Cùm verò ab intestinis & vijs communibus, minores & leniora cathartica.

53. Ne pharmaci præassumpti malitia in stomacho remaneat, lavativum iusculum aliquod, solutione completa, optimum est propinare.

54. Omnia somnifera, soporiferavè per duas horas post cibum à peritis propinantur.

IIII.

De Purgatione.

55. Inter medicinas & corpora sunt proportiones,

nes, quæ non comprehenduntur nisi experimento, ergo multa experimenta sunt experiunda, donec invenias, quod iuvet.

56. Vbi pluribus egeraus vacuationibus, debemus semper à mitioribus inchoare, & tandem ad valentiora ascendere.

57. Perpetuò universalis evacuatio particularem præcedat, ne aliunde in affectam sedem humores noxij rapiantur, unde fiat novissimus error peior priori.

58. Semper potius utendum medicamentis purgantibus in minima dosi, quam summa. Quia tutius est peccare in defectu, quàm in excessu.

59. Qui tempestivè expurgari volunt, collecta indies maiori humorum copia; postea gravius cruciantur.

60. Cùm succum superfluum expurgare velis, ipsum solutione præpares, cum medicinis proprijs, cibisq; medicinalibus.

61. Solutiva fortia materiæ solvendæ concoctionem expostulant. Incoctam tamen evacuare satiùs est, quàm impedire naturam in succi peccantis æquatione.

62. Chronicorum morborum purgationes, peccantis materiæ coctionem expectant.

63. Cùm non minus ex humorum paucitate, quàm ex ipsorũ abundantia nascantur ægritudines, qui confestim ad pharmacias confugiunt, in errorem incidunt manifestum.

Per

64. Per inteſtina purgantur ea, quæ in ſima iecoris parte ſunt, quæ verò in gibba per urinam, quæ in pulmone ſunt, per tuſsim. Cerebri verò excrementa per nares.

65. Rectè inquit Meſue noſter, iſtum eſſe gradum ſapientiæ, ut ad medicinas fortes non deveniamus, niſi vbi debiles non contulerint.

66. Purgantia, ſine ratione, magna ſæpè adhibere temeritas.

67. Natura ſemper intendit mundificare ſanguinem, cùm ſecernit quod officit.

68. Eucraſiata & ſana corpora nulla indigent pharmacia, neq; venarum ſectione: Diſcraſiata verò earum altera, aut ambabus ſapiſsimè.

69. Imbecilli exiſtente virtute, ipſa exquiſitam abhorret purgationem, omniaq; ſuperflua. Natura igitur fortis exiſtens probè ſuſtinet omnia: Imbecilli verò facta, à minimis læditur, & contriſtatur.

70. Quibus imbecillis ventriculus eſt, alvi ſubductionem haud faciliter ſuſtinent. Ii igitur clyſteribus, vitioſos ſuccos educentibus, ſolvendi ſunt.

71. Malos ſuccos habentibus, ac pharmacia, aut venarum ſectione egentibus, vacuationis repetitio tutior eſt, quàm ſuperflua ſimul, & ſemel facta.

72. Medicina calida alicubi admota, ſuccos trahit à toto corpore, velut ventoſa ſanguinem; hac de

hac de re ſi non præceſſerit totius corporis purgatio, & membrum acutis curetur, ad illud materia adducitur manifeſtè, illicq; firmatur, ut ab ea extrahatur tardiùs.

73. Flava bile peccante evacuationes fieri promptiores expedit. In phlegmate autem & melancholia tardiores.

74. Evaporativa pharmaca multitudine exiſtente in toto corpore, quibuſdam particulis admota magis implent, quàm evacuant. Hanc igitur & alias curans ægritudines, ac etiam phlegmones, nullo uti audeas evaporativorum, priuſquàm totius corporis evacuatione uſus fueris.

75. Succi graves deorſum tendentes per inferiora, leves autem per ſuperiora purgandi ſunt.

76. Vt maiorum venarum ſectio minorum præcedere debet: ſic materiarum communium evacuatio particularium ſolutionem præcedat.

77. Robuſtis exiſtentibus virtutibus audacter utere evacuativis auxilijs, invalidis verò timidè. Solutiva enim fortia cum ſuccis exuperantibus magnam ſpirituum faciunt ſolutionem.

78. Crudos ſuccos habentibus torſiones plures inducit purgatio, nec multùm dignum ratione evacuat.

79. Humida atq; calida corpora alvi deiectionem faciliùs ferunt.

80. Hyeme atq; æſtate ægrè venter ſolvitur.

81. Secundum caulis decoctum ventrem ſoluere,

substantiam verò eius eandem adstringere, compertum est. Quantò autem plus decoquitur : tantò fit eius aqua plus solvens, & substantia magis stringens.

82. *Terebinthi lacrymæ ad nucis ponticæ quantitatem datæ, non modò alvum citra noxam solvunt : sed viscera omnia, iecur scilicet, lienem, renes, pulmonesq; abstergunt.*

83. *Pinguioribus & humidioribus viris clysteres conveniunt salsiores, & tenuiores, senioribus autem, & qui astricto corpore, & tenuiore valetudine sunt, expediunt pinguiores & spissiores.*

84. *Purgationes ut interdum necessariæ sunt : sic ubi frequentes sunt, periculum adferunt. Assuescit enim non ali corpus, & ob hoc infirmum erit.*

85. *Corpora oportet, ubi quis purgare voluerit, fluida facere, & si suprà, sistere alvum, si verò infrà, humectare.*

86. *Pueri & senes etiamsi pleni humoribus : tamen non debent solvi fortiter. Temperatè itaq; procedendum est.*

87. *Immodica exinanitio vel plurimùm febres excitat.*

88. *Alvus si vehementiùs fluat, aut sæpiùs ducitur, hominem infirmat.*

89. *Ventrem deijcere, ubi intestina apostemata sunt, damnatur.*

90. *Quibus præcordia tensa sunt, cathartica assumpta nocent.*

Prægnan-

Prægnantem citra quartum, aut ultrà septimum mensem purgare, metus est. 91.

Venam incidere, & simul pharmacum propinare eodem die, piaculum est, sed ne duo pharmaca propinare eodem die convenit. 92.

Præcipuum tempus evacuandi est Ver; Extrema tamen necessitas legi obnoxia non est. 93.

Sicut æstas choleræ : ita hyems phlegmati evacuando, idonea est. 94.

In alleviativa evacuatione non est opus digestione. Fit autem clysteribus utplurimùm, aut lenientibus medicinis, 95.

Qui à fecum duritie constipantur, nisi clysterem præmiserint assumptis pharmacis, torminibus vexabuntur. 96.

Antequàm pharmacum perfecerit operationem suam, comedendum aut bibendum non est. 97.

Frigidi humores vehementioribus pharmacis facilius evincuntur, calidi verò temperatioribus. 98.

Fortes, corpulentos valentioribus evacuato, pueros, fœminas, senes, macilentos debilioribus. 99.

Iuvat ante pharmaci porrectionem percunctari laborantem, an unquàm pharmacis usus sit, promptè quoq;, an difficulter resolvatur; Nam ad huiusmodi pharmaca potissimùm sunt contemperanda. 100.

Antequàm pharmacum propines, primùm digerere materiam, convenit, nisi in morbis pestiferis, & qui intra triduum perimunt. 101.

 In æstate

102. *In æstate vomitus magis provocatur, hyeme verò pharmacis atq; clysterijs opus est.*

103. *Qui in re Medica peritiores hodiè habentur, tempore æstivo ante diem, brumali verò in die, exhibent medicamina.*

104. *Laborantes vitio intestinorum, aut internis abscessibus, aut ex præcordijs dolentes, fortibus pharmacis ne purgato.*

105. *Qui difficulter excernunt, & frigidis humoribus turgent, calidis & lenibus cibarijs sunt reficiendi, scilicet carnibus pinguibus, cum petroselino, aut feniculo recenti coctis. Qui verò calidis humoribus sunt repleti, his attriplicem, mercurialem, betam & brassicam cum carnibus pinguibus dato.*

106. *Stomacho ieiuno pharmaca sumenda sunt. Quod si calidi fuerit temperamenti, aut stomacho debiliori, ante medicinam modicum aquæ hordeaceæ, aut vini granatorum bibere iubeto. Et si pedes frigeant, pannis calidis calefacere prius procurato.*

107. *Si remissius fuerit pharmacum, licebit paululùm indormire: si verò forte, unica tantùm hora permittitur.*

108. *A pharmaci sumptione non statim est comedendum: sed lentè & tenuibus cibis corpus est reficiendum.*

109. *Dùm alvus soluta est, nisi restringere velis, dormiendum non est.*

Qui

Qui inter excernendum fame tanta urgentur, adeò ut videantur debilitati, his nonnihil panis in vino infusi dare permittitur. 110.

Medicina si non operetur, per clysterem, aut per alia lenientia profliganda est. 111.

Vbi pharmacum diarrhœam, aut dysenteriam induxerit, statim syrupum myrtinum, cydoniorum, aut Rhabarbarum propinato. 112.

Indicium est perfectæ evacuationis, cùm siti immodica premitur patiens, & tormina multa torquent, aut spasmus. 113.

Medicinam revomentibus cum ovo ad gulam adhibito succurrimus, aut tosto pane aceto priùs humectato. Iuvat etiam acetosum quippiam masticare; sunt qui extrema ligent, & stomacho cucurbitulas superimponant. 114.

Celebrata excretione brodium pulli cum saccharo ad abluenda intestina dato, indè, qui optimè nutriunt cibos. 115.

Semper expedit paulatim ducere, quàm subitò. 116.

Operosum est, quorum sana sunt corpora, purgare. Torquentur enim & subvertuntur, confestimq; dissolvuntur. 117.

Antequàm pharmacum demus, expedit priùs extenuare crassos & glutinosos humores, ut facilius deijciantur. 118.

Inepti sunt purgationibus, quicunq; obæsi, quiq; multi sanguinis sunt, & continuò animo deficientes, difficiles, & qui confestim, quavis 119.

oblata occasione vomunt. Item pueri & senes, mulieres, multùm menstruis purgatæ, quiq; puno sunt corpore.

120. Corpora adversa valetudine diu exhausta, periculosè evacuantur.

121. In turbationibus alvi,& vomitibus qui sponte fiunt, si qualia oportet purgentur, confert, & facilè ferunt: sin minus, contrà fit. Sic & vasorum depletio, si qualem fieri oportet, fiat, confert, & facilè ferunt: sin minus, contrà accidit. Proinde & regionis & temporis, & ætatis & morborum habenda est ratio, pro quibus talia vacuari conveniat, nec ne.

122. Athletarum plenior corporis habitus, si ad summum plenitudinis gradum perductus sit, lubricus est. Neq; enim eodem permanere aut consistere potest: quùm verò non consistat, nec iam posit in melius proficere, superest ut recidat in deterius. Quamobrem plenior illa corporis habitudo haud cunctanter est solvenda,quò corpus novæ nutricationis initium capiat. Non tamen usq; eò vacuando pergi velim, ut vasa penitùs in se considant. Hoc enim tutum non est: sed quatenus natura feret, eò usq; progredi oportet. Sic & extremæ vacuationes periculosæ: contraq; repletiones,extremæ si fuerint, similiter periculosæ.

123. Quæ decernuntur decretavè sunt iustè, nec movere, nec aliud quicquam novare, sive medicamentis, sive alijs irritamentis fiat, sed omittere oportet. Quæ

Quæ educere oportet, quò maximè vergere videbuntur, ducito, vijs ac locis utiliter eò ferentibus. 124.

Quæ matura,coctaq; sunt, medicari ac movere oportet, non cruda, nec per initia, nisi suapte cieantur impetu: id quod perrarò fieri solet. 125.

Quæ vacuantur, multitudine metienda non sunt, sed si quæ oportet, vacuentur, & facilè ferant: atq; ubi ad animi deliquium educere convenit, faciendum, si ægrotus par esse posit. 126.

In morbis acutis rarò,& per initia, medicamento purgante uti oportet. Nec verò id inconsideratè faciendum. 127.

Si qualia oportet purgentur,confert, & facilè ferunt; si contraria,difficulter. 128.

Corpora cùm quis purgare volet, ea fluxilia faciat oportet. 129.

Incipientibus morbis, si quid movendum videtur, move. Vigentibus autem quiescere, multò præstat. 130.

Qui corporum salubritate sunt præditi, ij purgante hausto medicamine statim deficiunt, ut & qui pravo alimento utuntur. 131.

Qui integra sunt corporis valetudine, medicationes ægrè molestèq; ferunt. 132.

Prægnantes purgabis, si materia urgeat.quadrimestres, & usq; ad septimum mensem, sed has parciùs. Minore verò aut grandiore conceptu, abstinebis. 133.

134. Purgantium medicamentorum usu talia è corpore educenda, qualia sponte etiam prodeuntia, iuvant: Contrario verò modo exeuntia, sistenda.

135. Æstate superiorem potiùs, hyeme inferiorem purgare convenit.

136. Sub canicula & ante caniculam difficiles sunt purgationes.

137. Graciles & ad vomendum faciles per superna purgare, nisi hyems adsit.

138. Ægrè vomentes, & modicè carnosos, quos eusarcos appellant Græci, infernè purgato, devitans æstatem.

139. Obnoxios phthisi suprà ne purgato.

140. Melancholicos infra vehementiùs purgabis, eadem ratione contrariam iniens vacuandi viam.

141. Purgandum in valdè acutis, si ad sui excretionem invitet materia, eodem ipso die. Differre enim in talibus, malum.

142. Quibus propter lævitatem ventres cibi sunt incontinentes, hyeme suprà purgare, malum.

143. Qui ad veratrum non facilè suprà purgantur, eorum corpora ante potionem copiosiore alimento & quiete præhumectanda.

144. Poto elleboro corpus movendum potiùs, quàm somno tradendum, aut quieti. Nam vel navigatio indicat motione turbari corpora.

145. Cùm elleborum citare voles, move corpus: cùm verò sistere, somnum concilia, nec move.

Elleborus

Elleborus periculosus, sanas carnes habentibus. Convulsionem enim ingenerat. 146.

Non febricitanti cibi fastidium, cordis dolor, vertigo tenebricosa, & oris amaritudo, purgatione per superiora opus esse significant. 147.

Supra septum transversum dolores, quicunq; egent purgatione, per superna purgandum esse significant. Qui verò infrà sunt, per inferna. 148.

Qui potione medica, dùm purgantur, non sitiunt, ipsorũ purgandi finis non fit, donec sitiverint. 149.

Si citrà febrim tormina adsint, & genuum gravitas, & dolor lumborum, inferna purgatione opus esse significant. 150.

A medicamento poto convulsio mortifera. 151.

Si senibus suprà modum purgatis singultus accidat, non bonum. 152.

In morborum principijs, quando materia est multa, vel cùm materia valdè est maligna, ipsa est minuenda evacuatione minorativa, ne natura ob materiæ copiam succumbat, vel, ne ob materiæ malitiam natura prosternatur. Nam materia iam minore facta natura reliquias facilius superare, & concoquere potest. 153.

Eradicativa evacuatio sæpè etiam per plures perficitur evacuationes minorativas. 154.

Nullum deiectorium medicamentum, antequàm humorum crassities sit attenuata, & digesta, & viæ per quas expurgari debet apertæ sunt, exhibendum est. 155.

156. *In morbis acutis materiæ purgatio in principio conceditur, quia materia tenuis est, fluxilis & cathartico obsequens. In diuturnis verò detestatur, antequàm humores frigidi sint attenuati, dissecti, detersi & fluxiles redditi, ac meatus reserati.*

157. *A levioribus incipere, & procedere ad fortiora, est ordo sapientum.*

158. *Ne æger assumptum catharticum vomitu reijciat, panis assus in aceto maceratus, naribus admoveatur, extrema deligentur, & cucurbitula umbilico affigatur.*

159. *Quando urinæ inter initia febrium fuerint tenues, ægrum non purgabis, sed potiùs, si videbitur, clysterem adhibebis. Si verò in principio urinæ existunt crassæ, habentes nebulam albam, hìc annuentibus cæteris purgabis. Nam urinæ tenues cruditatem insinuant, crassæ verò materiam aliquo modo coctam esse indicant.*

160. *Medicus in curandis morbis Naturam ducem sequi debet. Hæc nunquàm in principio commodè humorem exuperãtem, dùm crudus adhuc est, evacuat, expellitq;. Sic & Medicus principiò humoris coctionẽ instituat, posteà evacuet, & in declinatione sudorem provocet, naturam Ducem imitatus.*

161. *Quandò pura cholera exuperat, illa statim à principio est avacuanda, nulla præmissa digestione, quia materia turget, furiosa & circumflua est. Posteà refrigerantia & humectantia offerãtur, ut inspissetur, quia est humor calidissimus & siccissimus.*

mus. Si enim hìc attenuantia offers, humor fit tenuior & fluxibilior, vnde periculum est ne caput petat, & fiat soda aut phrenitis, aut altiùs in poris membrorum immergatur, ut posteà difficulter possit curari.

In morbis chronicis, si à principio fortioribus utimur catharticis, tùm id, quod subtile est, evacuatur, crassum verò in corpore relinquitur. Sic in epate efficimus maiores obstructiones crassis humoribus ad angustas vias attractis. 162.

Post catharticum exhibitum urinam contemplato, hæc si fuerit tenuis & pauca, & si fuerit gravitas seu dolor in aliquo loco, insinuat oppilationem esse factam. Præterea humores pravi moti permiscentur cum bonis, undè & boni corrumpantur necesse est. 163.

Pravus succus si sanguini est permixtus, primùm humor ipse digeratur, posteà evacuetur, tandem vena secetur. 164.

Humorem vitiosum sanguini esse immixtum, aut exuperare cum sanguinis copia, constat ex urina multùm rubea & crassa, & ex colore corporis rubeo, habitudine carnosa, & venis repletis. 165.

Alvo constipata nequaquàm pharmacum purgatorium offeratur, sed priùs alvus clystere suppositorio, vel cibo humectante emolliatur. 166.

In capitis dolore, & oculorum affectibus, quàm diu capitis gravitas adfuerit, tàm diu per intervallum evacuatio est repetenda. 167.

Quando

168. Quando membrum, à quo purgare intendis, dolore intenso molestatur, non offeratur cathartícum, donec dolor mitigatus sit.

169. Quando post catharticũ assumptum succedit aliqua alleviatio, signum est humorem noxium esse evacuatum. Facilitas enim evacuationis significat materiam fuisse coctam & digestam, quæ evacuata est. Sic etiam constat, materiam sufficienter esse evacuatam, ubi nulla gravitas in loco affecto ampliùs sentiatur.

170. Macilentia & raritas corporis, evacuationem corporis prohibent.

171. Die secundo à purgatione æger ingrediatur balneum, ut fumi ab humore moto ad cutem elevati, evacuentur per cœcam transpirationem. Prætereà balneum humectat corpus à cathartico desiccatum.

172. Qui cathartico uti vult, ille præcedente die utatur diæta humectante, & leniente alvum.

173. In tussi vehementissima, ob catarrhum orta, medicamentis purgatorijs opij gr. ij. addantur, ut materia sic crassior fiat, & somnus provocetur. Idẽ facias in Ileo & colica, ut dolor sic mitigetur.

174. In morbis chronicis paulatim & sæpè evacuatio est repetenda, & digestio unà cum membri confortatione: semper enim à levioribus est incipiendum, & ad fortiora procedendum.

175. Cùm stomachus solus est affectus, cathartica vehementia detestantur, levissimis itaq; utendum purgan-

purgantibus, ne plùs pravorum humorum ad stomachum attrahatur.

176. Quando ægri neq; venæsectionem, neq; alvi purgationem admittere volunt, tùm diæta tenui utantur, clysteres injciantur, Epompholica umbilico imponantur, ac suppositoria ventri indantur.

177. A sanguinis missione, aut purgatione, æger boni succi edulijs nutriatur, ne rursus in corpore aut crudi, aut pravi humores coacerventur.

178. A purgatione absterstvo aliquo utere, ut iusculo pisorum, vel brodio pulli cum saccharo, vt sic abstergatur, & deorsum trahatur, quod orificio stomachi adhæret, & vt medicamenti qualitas calidior temperetur. Sc etiam refert post absterstvum, succum aliquem stypticum exhibere, ut granatorum, vel arantiorum acetosorum, ne stomachus materiam aliundè recipiat.

179. Vbi purgatio cœpit, à ptisana abstineto. Indè enim pharmaci vis exolvitur. Quia abstergendo & abluendo præcipitat catharticum, ut ampliùs suo officio fungi non possit.

180. Post cathartica assumpta loco ablutivi, offeratur brodium macri pulli, & non aqua hordei, ne ad vrinæ vias transeat.

181. Quandò post fortem vacuationem alvus adstringitur, tùm simplici tantùm oleo injecto alvus leniatur.

182. A sumpto cathartico æger quiescat parùm, ut natura amplectatur pharmacũ, agatq; in istud, tandem

tandem confert mediocris motus, ut humores fundantur, fluxileſq; fiant, & expultrix vis excitetur.

183. Quàmdiu medicina operatur, non dormiat, niſi effrenitet, & voluntas fuerit, ut reſtringatur.

184. Quando humor ille, qui infeſtat, purgatur, confert, & æger ſe ipſo levior fit. Quando verò alterius humoris, & non eius, qui moleſtat, & noxius eſt, fit evacuatio, ſequitur anxietudo, & æger fit debilior, ac quandam afflictionem ſentit.

185. A ſumpto cathartico æger in temperato degat loco, & nequaquàm ſuperdormiat quando medicina operari incipit, quia ſomnus retinet omnes fortes evacuationes, excepto ſudore.

186. A ſumpto cathartico æger neq; bibat, neq; comedat, donec pharmacum ſuam perfecerit operationem, ne natura à ſua operatione ad cibum ac potum avertatur.

187. Horis quatuor elapſis à cathartico aſſumpto, cibum ſumere conceditur à Medicis.

188. Cathartica commodè in aurora offeruntur.

189. A ſumpto cathartico patiens maneat in camera feneſtris clauſis, uſq; quò compleatur medicinæ operatio. Quia ex præſentia luminis cathartici operatio impeditur, debilitaturq;. Eſt enim pharmaci proprium trahere à circumferentia ad centrum, aëris autem luminoſi, avertere ſanguinem & ſpiritus à centro ad circumferentiam.

Quando

Quando peracta purgatione accidit teneſmus, tùm clyſter lavativus ex aqua hordei adminiſtratur, ut ſic cathartici reliquiæ, quæ adhuc in recto inteſtino vniuerſæ ſunt, abluantur, ne amplius virtutem expultricem irritent. 190.

In tempore calidiſſimo, & frigidiſſimo, nequaquàm fortia purgatoria medicamenta exhibeãtur. 191.

Immodica ventris evacuatio fit, aut ob materiæ multitudinem ad fluxum iam paratæ, ac diſpoſitæ, quæ modica commotione facta, cumulatim prorumpit, aut venarum debilitatem, aut orificiorum venarum amplitudinem, aut catharticum acutum adhærens, aut aërem frigidum, materiam ad interiora repellentem. 192.

Spaſmus fit ob cathartici venenoſam qualitatem, pertingentem ad nervos, quam refugientes contrahuntur, undè ſpaſmus. Aut fit ob immodicam inanitionem nervis ſcilicet exiccatis. 193.

In colica, & ventris obſtructione, ſeu alvo dura exiſtente, nequaquàm ſolutiva per os exhibeantur, donec alvus clyſtere lenitus ſit. Si enim ſtatim à principio, alvo conſtipata exiſtente, catharticum per os offers, tùm materia attracta ad inteſtina ubi per inferiora non poteſt excerni, tùm plærumq; regurgitat ad membra nobilia, aut materia mota evaporat ad cerebrum. 194.

Cathartica quæ melancholiam purgare debent, ſemper debent eſſe, cum lenientibus & humectantibus, permixta. 195.

In me-

196. *In Melancholicis affectibus purgamus commodiùs potionibus, quàm pillulis.*

197. *In hecticis, phthisicis, & extenuatis corporibus fortia cathartica detestantur, sed benedicta pharmaca, infusiones, & leves clysteres admittuntur.*

198. *Quando humores crudi in corpore exuperant, neq; vena secanda, neq; purgandum, neq; exercitandum, neq; etiam lavandum est.*

199. *Pillulas capitales, quæ maiores reliquis esse debent, per duas horas à levi cœna circa introitum lecti offerimus.*

200. *In ulceribus, apostematibus, ac vitijs renum & vesicæ, materia à vijs urinæ est avertenda, ad intestina lenitivis, ut flore cassiæ, & hoc in forma boli, & non in forma potionis. Nam potus movet ad renes.*

201. *Medicina eradicativè evacuans nunquàm exhibeatur, donec apparuerit materiam fuisse digestam, quod constat ex mediocritate coloris & substantiæ urinæ, & eius nube seu hypostasi.*

102. *Hydragogis utimur & in ascite, & in albis menstruorum profluvijs, & in his, qui fluidis ulceribus affecti sunt.*

103. *In morbis acutis aut peracutis, materia utplurimùm est mobilis, ideò statim à principio eradicativè evacuare licet, vel saltem bonam minorationem facere, & postea residuùm digerere & evacuare.*

Cathar-

Cathartica cum aqua hordei nequaquàm offerantur. Quia aqua hordei absterſione ſua efficit, ut catharticum nihil operetur. 204.

Quando timetur fluxus hæmorrhoidum, ob usum aloës, tùm modicum addatur tragacanthi, ne ano noceat. 205.

Eradicativè purgare non licet, antequàm materia ſit digeſta & cocta, quod ex urina cocta conſtat. Quando verò materia est valdè furioſa, tùm ſtatim materia eradicativè est purganda. Materiam autem valdè esſe furioſam conſtat, ubi morbus in ultimo est acuitatis, id est, ubi morbus acutiſſimus est. Hìc enim humores ſunt ſubtiliſſimi & fluxiles. 206.

Evacuatione minorativa utimur in principio ante digeſtionem. Eradicativa vera in ſtatu completo; hìc enim materia est concocta. 207.

In omni evacuatione meliùs est infra ſubſiſtere, quàm exquiſitiſſimè evacuare. 208.

Rhabarbarum in ſubſtantia damus, quando poſt ſolutionem quærimus ſtypticitatem ventris. In infuſione verò non est ſtypticitas. 209.

Scammonium ſtomacho, febrientibus, & cordi est infeſtiſſimum. 210.

Cathartica cum aqua hordei non ſunt offerenda, quia eorum operatio indè impeditur. Abſtergit enim cathartici veſtigia, ac qualitatem eius obtundit. Ideò Meſue dicit; ſi Medicina 211.

ſolvit ultrà, quàm oportet, aqua hordei calida inter cætera frangit medicinæ audaciam.

212. *Catapotia & bolos formamus, cùm à longinquis partibus trahendum eſt: Potiones potius, cùm vias alimenti primas inanire ſtudium eſt.*

213. *Gracilibus, qui non aluntur, ac purgatione indigent, his omnibus ſerum exhibendum, nec ſale, nec quopiam medicamento adiecto.*

214. *Qui evacuatus eſt, non debet feſtinare ad cibos multos ac crudos capiendos, quoniam natura es incoctos trahet, quòd ſi aliqua vi cogimur id facere, id quidem ſenſim ac paulatim fiat, adeò ut ordinatè res procedat, & quod corpus ingrediatur ſic optimè concoctum.*

215. *Pharmacum purgatorium inducit vomitum, vel ob ſtomachi debilitatem, vel medicinæ horribilitatem, quòd ſcilicet abominabilis ſit, vel immoderatam alvi excrementorum ſiccitatem, vel canalium anguſtationem, vel deniq; ventoſitatem ſublevantem.*

216. *Balbutientes ſunt fluxui ventris expoſitiſſimi, ideò fortiſſimum medicamen ſolutivum his offerendum non eſt.*

217. *Qui pharmaco non fuit anteà uſus, neq; ipſum potaverit, nequaquam debet medicus exhibere ei medicamina vehementer ſolventia.*

218. *Si quis validum hauſerit catharticum, ſatius erit poſt illud dormire antequàm operetur, quoniam tunc meliùs ſuo fungetur officio. Si verò id debile*

id debile fuerit, ſatiùs erit à ſumpto pharmaco non dormire, quoniam natura medicamentum id concoquet.

Omne catharticum ſolvit primò humorem ſibi proprium, deinde eum qui magis exuperat, tenuiorq; eſt, itidem & reliquos, iuxta hunc ordinem, præter ſanguinẽ, quem quidẽ natura poſtpõit atq; cuſtodit. 219

A ſumpto cathartico refert odorare mentham, rutam, citonium, aquam roſaceam, addito nonnihil aceti, hæc enim nauſeam prohibent. 220.

Quando pharmacum purgationem non fecerit, maliq; caſus ſubſecuti fuerint, incidere venam poſtea par eſt, imò etiam poſt duos aut tres dies: Nam niſi id fiat, timendum erit, ne humores ad aliquas principes partes ſe convertant. 221.

Agaricus, in paralyſi & nervorum paſſionibus, ſingularis eſt medicina. 222.

Agarici infuſio tutior eſt, quàm ipſius ſubſtantia, niſi velimus provocare vomitum. 223.

Cùm digeſtio in urina apparet, tùm oportet materiam evacuare per eam partem, ad quam declinare videtur. 224.

Particulares evacuationes ſequi, & non præcedere debent univerſales evacuationes repletione præſente. 225.

Clyſteris uſus ſummè confert, non tàm in acutis, quàm mitibus febribus. Clyſter enim lenitivus febris acumen remittit, ut alvi excrementa, quæ ſua evaporatione cor & caput offendunt, evacuet. 226.

227. Etsi fortes clysteres in febribus detestantur: tamen in mitioribus febribus, ubi magna adest frigidorum & crudorum humorum copia, aut si periculum adest apoplexiæ, tùm coactè licet uti acutioribus clysteribus: sic etiam fortioribus clysteribus vti licet, ubi alvi excrementa fuerint vehementer exiccata, & magna obstructio adest in intestinis.

228. Quando enemata injcis alvo, tùm semper cura, ut de liquore ad minus duæ unciæ maneant in sacculo, ne ventositas unà impellatur intra intestina, undè dolor. Antequàm autem enema injciatur, canalis sacculi benè priùs oleo inungatur.

229. Stomacho ieiuno nequaquàm clysteres injciantur, ne clyster ad superiora, ad stomachum scilicet, trahatur, neq; etiam stomachus sit nimiùm repletus, ne cibus crudus ad inferiora trahatur. Clysteres itaq; injciantur, quando stomachus non multùm est cibo repletus, neq; etiam nimiùm inanitus.

230. In convalescentibus, quando alvus adstricta est, his alvus ducenda est, solo oleo olivarum per inferiora infuso.

231. Clysteres non sunt ultra unam horam in ventre dimittendi.

232. Corpore crudis succis repleto, nequaquàm acutum injciatur enema, ne commota materia fiat evaporatio, & ad cor ac caput, indè aut syncope, aut soda. Fortia

Fortia clysteria & suppositoria injciantur 233. in apoplexia & paralysi, quia virtus est sopita.

Vltra tres clysteres per diem non injci- 234. antur.

Enema non sit actu frigidum, hoc enim ano, 235. vesicæq; nocet, ac flatus excitat.

Injecto clystere tussis & sternutatio dete- 236. statur.

Clysteres ubi nolunt egredi, revocentur sup- 237. positorijs ano insertis.

Clysteres calidi injciendi. Eorum verò ca- 238. lor sit, qualis est urinæ modò emictæ, aut lactis modò mulcti.

Accidit nonnunquàm quòd clyster non vult 239. ingredi ob flatus in intestinis existentes, repellentesq; enema, hìc cave violenter impellas enema, sed bis aut ter ineiectionem eius iterabis. Sicq; fortassis ventositas emissa excretaq; fuerit.

Quando in intestinis magna est oppilatio, 240. tùm non acuti: sed tantùm mollificantes injciantur clysteres. Per os verò lenientia medicamenta exhibeantur, extrinsecùs autem mollificantia & humectantia administrantur.

Clysteres nequaquàm frequententur, imò in- 241. tercedant inter ipsos tres vel quatuor horæ.

Quibus intestina sunt acuti sensus, hìc cly- 242. steribus parum salis injciendum est, si verò hebetis, plus.

243. *Accepto clysſtere æger cubet in dorſo, ſi lumbi dolent, aut in latere, ſi latus: aut in ventre, ſi venter.*

244. *Suppoſitoria non excedant longitudinem ſeptem digitorum in tranſverſo.*

245. *Non probantur ſuppoſitoria, quæ tres aut quatuor tantùm digitos longa ſunt, ſic enim horum virtus non poteſt pertingere ad ſuperiora, incitando expultricem.*

246. *In morbis Melancholicis Melancholia ſæpiùs eſt purganda, donec humor evacuatus ſit, quia atrabilis propter ſuam frigiditatem & ſiccitatem difficulter purgatur & movetur.*

247. *In Melancholia utplurimùm ſimul peccat phlegma cum melancholico humore, & hoc accidit ob eorum indigeſtionem: Ideò autores plerumq; cum ſolutivis eorum permiſcent unà phlegma evacuantia.*

248. *Lienis excrementa ſolùm per alvum ſunt evacuanda, & non per ſudorem, ſicuti materiæ epatis.*

249. *Omnia quæ ſiccandi vi prædita ſunt, in omnibus melancholicis morbis deteſtantur, ut ſunt balnea aërea, thermæ, fortes fricationes, vigiliæ, diuretica, cibi acuti, ut piper, ſinapi, &c. & vehementer ſalita.*

250. *Quando in ventris cruciatibus clyſtere injecto dolor non mitigatur, tùm certum eſt, aut materiam ſeu flatus inter inteſtinorum membranas, aut in inteſtinis ſuperioribus exiſtere.*

Quando

Quando clyſteres fortes, antequàm materia 251.
cocta eſt, injiciuntur, accidit ſæpè ſoda, ſyncope, & difficultas anhelitus, ob materiam motam & non evacuatam, à qua fit evaporatio ad cor & caput.

In principio nequaquàm fortia enemata 252.
injiciantur, ne pravi humores in ambitu corporis exiſtentes retrahantur ad inteſtina, hi ſi acuti fuerint, excoriant plerumq; inteſtina, undè dyſenteria.

Quàndo in clyſteribus colocynthide uti voluëris, tùm in decoctione in petiam illigata imponatur, ne ſcilicet inteſtinorum tunicis adhæreat. 253.

Quando enema injectum non operatur, ob 254.
virtutem ſenſitivam hebetem, tùm ſuppoſitoria attrahentia clyſterem adhibeantur.

V.

De Curatione in genere.

Principijs obſtandum, & occaſiones auxilio- 255.
rum nunquàm negligendæ.

Multùm ad curationem ægri natura & cor- 256.
pus faciunt, nec omnes qui ſecurari paſſi ſunt, continuò convaleſcunt. Morbi enim à medicis omnes curari non poſſunt. Aliàs enim anteirent DEI omnipotentiam Medici.

Omnes infirmos ſanos facere, eſt impoſ- 257.
ſibile.

258. *A fortioribus morborũ indicationibus, ipsorum curatio semper auspicanda est.*

259. *Quot sunt morborum species: tot sunt curationum variationes.*

260. *A ratione certa nunquàm discedendum, etsi nihil prodesse videatur.*

261. *Corpus medica materia curatur: spiritus autem aëreus, sanguinis vapor, & quasi corporis & animæ vinculum, aëreis odoribus, sonisq; & cantibus temperatur & alitur.*

262. *Satius est aliquibus membrum putridum auferre, quàm permittere, ut morbi vehementia reliquum corpus inficiatur.*

263. *Præteritorum inquisitio in morborum cognitione, multùm iuvat Medicum.*

264. *Absq; certa morbi noticia vix, aut unquàm securè & salubriter potest curare Medicus.*

265. *Indicatio, id est, morbi & remedij collatio, actioni prælucere debet. Nihil igitur Medico instituendum absq; indicatione.*

266. *Qui calidam infrigidat ægritudinem, ultra id quod oportet, sanativam excedens temperaturam, alteram inducit ægritudinem, nimirùm frigidam. Vt igitur hoc non fiat, eius corporis, quod curatur, temperaturam nouisse oportet, ut quantum amota est eius ægritudo à recta temperatura, adhibeatur ei æqualis medicinæ mensura, qua suo auxilio æqualiter infrigidetur.*

Ignoran-

Ignorantibus gradum distemperaturæ corporum, aut medicinarum morbis appropriatarum, rectè curandi via ijs prorsus concluditur. 267.

Quot sunt naturales corporum, vel membrorum functiones: tot curis conservativis & restaurativis egent. 268.

Quoniam cùm pituitosum, tùm serosum excrementum in corporibus senum facilè colligitur, sæpiùs ipsorum urinas movere, & alvum solvere convenit. 269.

Etsi in senili corpore aliquatenus fulciri 270. *possit imbecillitas: tamen ubi totum collabi cœperit, nihil agitur remedijs.*

Quoniam remota causa, facilè removetur 271. *effectus, in omni morbi genere causam morbum facientem, priùs abscindere decet.*

Quanto gradu à medio corpus distemperatum distat: tanto gradu medicina contraria, ut 272. *ad illud reducatur, indiget.*

Ægrotantis proprietates nosse, & quæ vel 273. *amica, vel inimica sint naturæ. intelligere oportet.*

Membris affectis, qualitatibus diversis exi- 274. *stentibus, utpote iecore calido, & stomacho frigido, necessaria est medicina composita contrarijs qualitatibus, ut valeat contrarios membrorum affectus alterare. Similem autem dyscrasiam habentibus, omnibus corporis partibus similis est curatio. Dissimilem verò dissimilis.*

275. *Methodica curatio ista censenda, dùm Medicus quid primò, quid secundò, quid tertiò agendum sit, ut ægrum ad optatam sanitatem perducat, intelligit.*

276. *Iisdem remanentibus, eadem iuvativa semper continuanda sunt. Novù verò morbis nova convenit antidota parare.*

277. *Quæcunq; iam factos curant affectus, hæc & antequàm fiant prohibent.*

278. *Simplici morbo medela convenit in virtute simplex: compositio autem, composita; Nam secundum causæ compositionem medela componi debet.*

279. *Curativæ morborum intentiones ex corporis complexione, ipsiusq; ægritudine, & aëris circumdantis natura, semper accipiendæ sunt.*

280. *Non minùs ex animi, quàm ex corporis vitio morbi multi oriuntur, ea de re videndum est, antequàm morbum curemus, è corpore ne, an ex animo nascatur infirmitas. A causis enim incipiendum est, ut arboris interitus non ex ramis: sed ex radice petatur.*

281. *Exigui affectus, separatis causis efficientibus, illicò finiuntur, natura ipsos videlicet sanante. Illi quippe externo indigent auxilio: quos ob sui magnitudinem natura vincere nequit.*

282. *Morbi qui sensim oriuntur, & quorum causæ cognitu faciles sunt, tutissimos appellare licet, perinde*

proinde si talium morborum causis præsentissima cura quamprimùm occurratur, morbi illi absq; negotio, & facilimè discedunt.

283. *Maxima in medendo difficultas, cùm contraria auxilia indicantur.*

284. *In frigido morbo à vino haudquaquàm abstinendum est. Concoquit enim id semicrudos succos, quantùm aliud, tùm sudorem, tùm urinam permutat, ac somnum conciliat.*

285. *Quibus in diuturnis morbis venter sistitur, quales in hyeme potissimùm contingunt, quibusq; post longam infirmitatem similis affectus incidit, saniq; adstrictis, ijs alvus non acribus: sed oleo tantùm deijcienda est.*

286. *Quibus nervorum à dorsi spina & nucha ortorum, aliquis fuerit affectus, ipsorum origini adhibenda sunt remedia.*

287. *Diminutas corporis partes non est Medicis possibilè generare: sed naturæ soli. Superauctas verò secundum numerum, aut quantitatem, interdùm auferre possunt.*

288. *Tutiùs est mederi somno morbis, cibóq; abstinentia, vel exercitio, quàm scammonio aut euphorbio.*

289. *In superioribus intestinis ulcus si fuerit, ab epotis medicamentis præsidium petendum est. Si verò in inferioribus, clysterem subijcere magis expedit.*

Initia

290. Initia morborum primùm famem, sitimq; desiderant, neq; ulla res iuvat magis laborantem, quàm tempestiva abstinentia.

291. Optimum medicamentum est, cibus opportunè datus.

292. Cùm omnia ferè medicamenta stomachum lædant, non sine causa Medici his ipsam victus rationem longè præferunt. Verùm ut hæc in plerisq; morbis utilior est: sic multa admodùm corporibus nostris incidere consueverunt, quæ sine medicamentis ad sanitatem pervenire nõ possunt.

293. Oxymel, quod non adeò fuerit acidum, fauces humectat, sputum evocat, sitim compescit, præcordijs, visceribus, cæteriq; id genus partibus amicum est, flatus discutit, & urinam ciet.

294. Vehementi malo, vehementi omninò auxilio opùs est.

295. Longinquior materia difficiliùs attrahitur. Vehementiora itaq; medicamenta membris remotioribus conveniunt.

296. Superiora intestina supernè, inferiora iniecto clystere commodè sanantur.

297. Vitando nociva, & utendo iuvantibus, prosperatur in ægris opus curationis.

298. Antequàm ægritudinis species, aut proximæ causæ cognoscantur, temperatis aut neutris regendus est patiens.

299. Morbi, qui citra humorum intemperantiam proveniunt, alterativis tantùm medicinis iuvantur, atq; corriguntur. Inve-

Inveterata dyscrasia transit in habitum, & 300.
respuit extirpari.

Quod iuvatur ab infrigidantibus, calidum 301.
est, quod verò humectantibus, siccum, & è converso.

Sæpè lavare caput & pedes cum aqua cali- 302.
da, in qua bullierint melissa, folia lauri, chamomilla, & similia, memoriæ, capiti & oculis valdè confert.

Omne simile superveniens morbo acuit ipsum, 303.
& augmentat. Omne verò contrarium morbo, compescit ipsum & minuit.

Qui à plenitudine morbi fiunt, vacuatione 304.
curantur: & qui ab inanitione proficiscuntur, sanantur plenitudine. Cæterorumq; contraria sunt remedia.

Semel multùm & repentè, vel vacuare, vel 305.
replere, vel calefacere, vel refrigerare, aut alio quovis modo corpus movere, periculosum. Omne siquidem nimium naturæ inimicum. Paulatim verò quod fit tutum, cùm aliàs, tùm maximè; ubi ab uno ad aliud facienda est mutatio.

Non si recta ratione gerenti omnia secun- 306.
dum eam minus succedat, protinùs est ad aliud transeundum, modò illud constet, quod ab initio visum fuit.

Quibus venæsectio aut purgatio prodest, 307.
his Vere secanda vena, aut purgatio imperanda.

Quando crudi succi in corpore exuperant, 308.
requiritur

requiritur subtiliatio absq; calefactione intensa, ut subtile non statim resolvatur, & ne per intensam caliditatem commotio fiat à materia.

309. In morbis diuturnis in principio non sunt offerenda digestiva vehementer calida, vel frigida. Vehementer enim calida materiam fundunt & colliquant, & obstructiones aut apostema in interioribus efficiunt. Idem faciunt fortia cathartica in principio exhibita. Frigida verò materiam reddunt crudiorem, compactiorem, & digestioni magis rebellem, unde morbus prolongatur. Ideoq; temperatis digestivis à principio utendum.

310. Medicus semper à levioribus debet incipere, & ad fortiora procedere, in morbis, qui dant inducias, sed in vehementioribus morbis, qui non dant inducias, ut in apoplexia, & epilepsia præsertim, in qua paroxysmi sunt frequentiores, statim à principio incipias à fortioribus, ne à materiæ multitudine & copia, virtus extinguatur.

311. In diuturnis morbis tantùm expectanda est concoctio, non in alijs.

312. Antequàm purgatorium pharmacum offeras, cura priùs, ut humores sint tenues & fluxioni parati, deinde ut sint æquati, hoc est, ut non sint crassi & lenti, postremò ut meatus sint aperti, per quos purgatio fieri debet.

313. In morbis frigidis ac inveteratis, & complexione frigida, simplicia in vino fulvo ac tenui decoquantur. In morbis verò calidis, & in complexione sanguine sanguinea, ac cholerica, in aqua, aut vino albo tenui decoquantur.

In declinatione & post probam corporis evacuationem. diuretica offerenda. Et si corpus est crassum & phlegmaticum, tùm audacter fortiora usurpantur. Si verò corpus est macrum, extenuatum & cholericum, tùm mitiora offerantur, & frigidis diureticis, ut seminibus melonum, citrullorum, &c. temperentur, ne scilicet sanguis in ijs aduratur, & corporis extenuatio augeatur. 314.

Medicamenta crassitiem humorum attenuantia & dissecantia, sic diuretica, sæpè sunt causa doloris capitis, quia hæc vias aperiunt & dilatant, ut vapores copiosius caput petant. Sed propterea ab horum usu & recta via non desistas, etiamsi æger & assidentes de medicamento exhibito conquerantur, quod excitarit dolorem capitis, sed procedas & pergas sic, quoniam sic rectè operando sequetur sanitas, & manifesta fiet omnibus Medici prudentia. 315.

Alvo constipata ubi digestiva offeruntur, accidit inde dolor, quia materia absterſa cùm non possit excerni, in flatus conuertitur. 316.

Dissecantibus & absterg entibus digestivis clysterem, ut via aperta sit, præmittere, & post horas tres hausturn aquæ pisorum, ut id quod à digestivo attenuatum est, absterg atur, exhibere oportet: si enim hæc in corpore manerent ob alvum durã, stomachum, cor, & caput evaporando lædere possent. 317.

Crassi

318. *Crassi & pravi humores ideò sunt in principio attenuandi & dissecandi, ut materiæ exuperantes, per angustas vias ad stomachum & intestina à cathartico, attrahi, & sic excerni possint. Nam materia, quæ per angustas vias expelli debet, necesse est, ut sit tenuis, & non crassa, aliàs novas efficeret obstructiones.*

319. *Quando iam crudi & pravi humores lenibus cathartics sunt imminuti, & lenibus medicamentis nonnihil attenuati, tùm fortibus utere pharmacis deiectorijs & digestivis, & cùm signa coctionis in lotio iam apparent, tùm diuretica, fortia aperitiva, & quæ sudorem provocent, ac per halitum degerant, offerantur.*

320. *Vsus diureticorum in principio ante purgationem corporis, non tàm in plethoricis, quàm cacochymicis corporibus detestatur.*

321. *In morbis melancholicis aperitivis & diureticis; semper humectantia addantur, ut est succus liquiritiæ, saccharum violaceum, pruna ungarica, passulæ, semen lactucæ, &c. Quia acuta & fortia diuretica in melancholicis affectibus ratione exiccationis detestantur.*

322. *Diureticis & menses provocantibus semper associentur humectantia in corporibus emaciatis & extenuatis, ut semen melonum, citrullorum, &c. ne sanguis in eis aduratur, & siccitas corporis augeatur.*

323. *Lithontribis etiam, in corporibus extenuatis, ad-*

dantur humectantia, ut syrupus violatus, vel syrupus de liquiritia, ne partibus subtilibus resolutis & consumptis, materia crassa in calculum convertatur, aut ne calculus durior fiat. Idem intelligatur de topicis, quæ extrinsecus admoventur.

Digestiva in diuturnis morbis per dies quinq; continuentur, & bis per diem exhibeantur, ut manè in aurora, & superdormire licet, & à prandio per duas horas ante cœnam: somnifera verò & digestiva capitis, vesperi circa introitum lecti offerantur. 324.

Digestiva benè calida offerantur, nisi intensa febris adsit, aut stomachi intemperies calida. Nam & hoc ad humorum facit concoctionem. Tepida nunquàm sunt offerenda digestiva: Tepida enim stomachi robur exolvunt. 325.

Dùm æger concoctricibus utitur potionibus seu medicamentis, semper interim in calidiusculo degat loco, & tenui utatur diæta. Nam & hoc ad humorum crudorum coctionem facit. Frigus enim humores densat, & poros cutis adstringit, & sic materiæ resolutio inhibetur. 326.

In digerenda seu præparanda materia melancholica, duplex est intentio: Vna est attenuare, & dissecare humoris crassitiem, moderatè tamen calidis, ne id quod subtile est, resolvatur, & crassum in corpore relinquatur; altera est, humectare & lenire humoris siccitatem & ter- 327.

restreitatem, sed in materia adusta utimur refrigerantibus, disecantibus & humectantibus.

328. Iulepis potius utimur in alterando, quàm in digerendo.

329. Pillulas, quæ à cerebro & iunctur is evacuare debent, magnas esse oportet.

330. In morbis calidis saccharo, in frigidis verò melle utimur.

331. Potionibus concoctricibus semper, quæ stomachum confortent, indantur, ut cinamomum, semen feniculi, &c. quia stomachi actio toti communis est: Sic semper quoq; adijciatur ea, quæ cor confortent, eò quòd Vitæ sit fons & basis, ut flores borraginis, bugloss æ, rosarum, meliss æ, &c.

332. In medicamentis pectoralibus præparandis, fugiendus est fumus, vel ignis fumans, ne acrimoniam aliquam medicamentum acquirat.

333. In vitijs pectoris, medicamentis pectoralibus semper memineris humectantia & lentientia pectus adijcere, ne partibus tenuioribus resolutis & exiccatis, materia in pectore fiat viscosior, & crassior, ut minimè possit tussi reijci. Ideò si offers oxymel scilliticum, adde syrupũ de liquiritia. Item si syrupum de hyssopo, de calamento, de prasio, adde syrupum violaceum, aut hæc cum decocto humectante offerantur.

334. Materia existente in epatis gibbo, vel in urinæ vijs, hæc nequaquàm à principio diureticis est evacuanda, sed priùs materia communis, quæ in epatis

epatis concavo, & venis meseraicis existit, lenitivo aliquo pharmaco est evacuanda, & minoranda, ne eiusmodi materia communis per aperitiva, & diuretica medicamenta ad epatis gibbum, vel urinæ vias derivetur, avertatur q;, & efficiat obstructionem.

335. Vbi materia peccans est evacuanda per gibbum, vel urinæ vias, & in his locis aliqua est exulceratio, tùm tutius est materiam per alvum, & intestina evacuare; & vicissim, si in intestinis existunt ulcera, tùm melius est, materiam in concavo epatis existentem, per urinæ vias, quàm per intestina, ne augeatur malum, expellere.

336. Verum tempus utendi Theriaca non in principio morbi est, sed cùm perfecta concoctio in urinis apparet.

337. Mel naturis calidis & siccis est incommodum: frigidis verò & humidis accommodatissimum.

338. Humor melancholicus tripliciter peccat: scilicet, crassitie, oppilando, & siccitate. Ideoq; potiones digestivæ parantur primò ex his, quæ attenuant & dissecant eius crassitiem, deindè quæ obstructionem referant, postremò ex humectantibus.

339. Quando calor aliquis præter naturam adest, tùm diuretica quibusdam refrigerantibus, ne calor intendatur, temperentur: si enim calida mera offeruntur, tùm augetur & febris & putredo.

Quando nauſea abſq; vomitu adeſt, hoc inſinuat materiam viſcoſam parietibus ſtomachi tenaciter adhærere. Quare hîc, quæ materiam attenuent, diſſecent, & abſtergant, offerenda ſunt. His etiam hieræ picræ ſimplicis Galeni uſus optimè confert.

341. Oximelle ſimplici, ſyrupo acetoſo ſimplici, & oxyſaccharo, minimè per ſe immodicè utendum, ne inteſtina rodant, ac vehementer abſtergendo vulnerent, & tuſsim excitent.

342. Digeſtiva, aperitiva, diuretica, & omnia diaphoretica in aurora debent offerri. Tùm enim venæ remotæ Epatis, & meſeraicarum ſunt inanitæ, & chylus in eis contentus tùm eſt concoctus.

343. Quando aliquis febre, & hydrope ſimul moleſtatur, tùm cibi, & medicamenta tempore minoris afflictionis offerantur.

344. Diuretica in diabete, & renum ulceribus, deteſtantur. Hîc potiùs materia influens ad partem oppoſitam, clyſteribus, & exhibitione floris caſsiæ revellatur.

345. Quando aperitiva, & diuretica offerre vis, tùm priùs lenitivum exhibeatur, ut recrementa circa primas venas exiſtentia ſic priùs evacuentur.

346. Si non videtur in urina ſedimentum manifeſtum, & ſigna coctionis apparent, non oportet ut dentur in potu fortia digeſtiva, aperitiua, & ſubtiliativa, propter fortem humorum commotionem.

Evacuatione minorativa utimur materia adhuc cruda, ut in morbi principio & augmento. Eradicativa verò materia cocta, ut in ſtatu & eius fine. 347.

Quando fortia diuretica exhibentur, admiſceatur ſyrupus violatus, aut ſyrupus de liquiritia, ad remittendam harum ſiccitatem, nè materia craſſa in lapidem convertatur. 348.

Nonnunquàm ex uſu fortium diureticorum accidit ſanguinis mictus: Hæc enim ſuo acumine vias urinæ exulcerant. 349.

Nonnunquàm ex uſu digeſtivorum ac catharticorum dolores, & accidentia augentur, ob humores ſcilicet cõmotos, ſed ideò minimè deterrearis, ut propterea curationem intermittas. 350.

Quando poſt uſum digeſtivorum accidit vomitus, nequaquàm deterrearis: Hoc enim indicat, materiam viſcoſam parietibus ſtomachi adhærentem, eſſe abſterſam, diſſectamq;. 351.

Cholera æruginoſa & praſina, non expectant digeſtionem, ſed ſtatim debent evacuari, tanquàm materia venenoſa furioſa. 352.

Cholera ubi exuperat, nulla indiget digeſtione, ſed tantùm opus habet alteratione, ne ſæviat, furiatq;. 353.

Oxyſaccharum non detur eis, qui tuſsi moleſtantur, debiles nervos habent, & qui dyſenteria vexan- 354.

ria vexantur. Excoriat enim inteſtina; Idem intelligatur de ſyrupo acetoſo ſimplici, & oxymelle ſimplici & compoſito: ſed ſi cum aliquo reprimente offeruntur, tùm in his caſibus admittuntur.

355. *Euacuatio debet quidem regulariter præcedere alterationem, tamen nonnunquàm, ubi febris intenſiſſima eſt, oportet nos uti alterantibus & refrigerantibus ante materiæ purgationem: ſed hic refrigerantibus cum humectatione utendum. Refrigerantibus enim ſtypticis ante materiæ digeſtionem & evacuationem utendum non eſt. Hæc enim oppilant, & tranſpirationem prohibent.*

356. *In duobus caſibus ſtypticis ante materiæ digeſtionem utimur, primò, quando cauſa febris eſt fluxus ventris, aut vomitus virtutem proſternens: deindè, quando ſudor immodicus affligit.*

357. *Poſt materiæ digeſtionem & evacuationem, frigidorum & ſtypticorum uſus eſt ſecurus. Nam extingunt calorem febrilem, & membra à febrili calore laxiora facta, uniunt & confortant.*

358. *Plethora ſanguinis miſsione, cacochymia verò alvi purgatione, tollitur.*

359. *Vomitus nequaquàm provocandus eſt, in habentibus parvum & anguſtum pectus, longum & macrum collum, in alatis, & gracilia crura habentibus, & quibus debile cerebrum eſt, & oculi debiles.*

360. *Errhinis utendum eſt ter in ſeptimana ieiuno ſtomacho, per horam unam ante prandium, tepidè*

tepidè in modum lactis iam iam emulcti, attrahanturq; naribus, facta priùs corporis purgatione.

Maſticatorijs utimur per ſpacium quartæ 361.
partis unius horæ, iciuno ſtomacho, manè per duas horas ante prandium. His verò utendum non eſt, ubi catarrhus ad pectus decumbit.

In paratis ad phthiſin, & in catarrho, non 362.
tutum eſt uti gargariſmis attenuantibus, detrahentibusq; pituitam. Sic quoq; non tutum eſt errhinis & ſternutatorijs uti in paratis ad ophthalmiam, oculorum lacrymas, & cataractam.

Errhina, apophlegmatiſmi, nullo modo ad- 363.
miniſtrentur, donec materia priùs probè ſit digeſta & evacuata, alioqui metus eſt, ne materia irritata, & liquata defluat ad pectus, & ſuffocet ægrum, aut ad cerebri ventriculos, & fiat epilepſia.

Quando uterùs errhinis fortibus, tùm at- 364.
trahe ipſa, & poſtea ſtringas nares, ut melius aſcendant in caput, & os repleatur aqua frigida, ne errhinum deſcendat ad palatum, & ipſum ſuo acumine lædat.

Turbith per ſe evacuat pituitam ſubtilem, 365.
cum zinzibere verò craſſam. Ideoq; in paralyſi parum, in ſpaſmo verò multum zinziberis addatur.

Peſſaria in virginibus adhibenda non 366.
ſunt. Vſus autem horum optimus eſt, ubi bal-

neum rerum mollificantium præcesserit. Debent verò filum longum, ut pro arbitrio, ne propter longam moram matricem exulcerent, extrahi possint, habere.

367. Quando timetur descensus catarrhi ad pectus, gargarismi omittendi sunt, ne catarrhus ad pectus avertatur, eoq; vel æger suffocetur, vel pulmo, si acutus ille est, exulceretur. Sed si fuerint gargarismi, catarrhum inspissantes sistentesq;, tùm horum usus conceditur, commendaturq;.

368. In Angina in principio gargarismi solùmodò in ore teneantur, & non gargarisentur, ne materia moveatur, conciteturq;.

369. Quæ oculis imponuntur actu frigida sunto, moderatè tamen. Intensè enim frigida materiam inspissant, & poros claudunt.

370. Quæ auribus induntur, illa tepida esse debent, & in parva quantitate instillentur, ut vix tres aut quatuor guttæ. Antequàm autem injiciantur, aures priùs à suis sordibus repurgandæ sunt, & medicamento injecto, æger primò in aure sana, per unam vel duas horas cubet, pòst verò aliquantulum temporis se rursus in affectam aurem revoluat, ut medicamentum injectum rursus effluere possit.

371. Pillularum usus in paralysi probatur, sed lenitivorum & cassiæ usus improbatur.

372. Acetum in auricularibus morbis non competit, nisi

tit, nisi parum admodùm. Quia acetum nervis nocet.

In morbis singulis vide, nùm laborent ob mensium, seu hæmorrhoidum suppreßionem, aut semen retentum: Hæcq; inprimis provocentur. Item nùm morbus exortus sit ob ulcus antiquum consolidatum. Hoc enim refricandum, & de novo aperiendum est. 373.

In melancholia, infusiones præferuntur solidis medicamentis, & pillulis. 374.

In die paroxysmi neq; est phlebotomandum, neq; medicamentum purgatorium exhibendum. 375.

Cùm refrigerantia offers, tùm advertas, ne stomachi concoctio inde debilitetur. Concoctionem verò inde esse debilitatam, constat ex appetitus prostratione, lienteria & flatibus. Idem intelligas de medicamentis refrigerantibus epati extrinsecùs adhibitis. 376.

Quando calida medicamenta offeruntur intra corpus, ut diuretica fortia, sic ubi extrinsecùs epithemata, seu inunctiones calidæ adhibentur, vide ne epar intemperie indè calida afficiatur, quod dignoscas, ubi sitis succedit, & urina coloratior fit. 377.

Ne ex usu frigidorum medicamentorum oblatorum stomachus offendatur, extrinsecùs interim calorificis inungi debet. 378.

In morbis chronicis, varijs utendum est medicamentis, 379.

dicamentis, manente intentione, ne natura ijs assuescat, quia à consuetis nulla fit passio.

380. Vini, aquæ frigidæ potus, Balnei aquæ dulcis, Diaphoreticorum, fricationum, & inunctionis corporum usus confert, in morbi scilicet declinatione, ubi signa concoctionis in lotio manifestè apparuerint. Sic enim materia circa capillares venas, & circa carnium cavitates expellitur.

381. Epithematum & reliquorum refrigerantium medicamentorum usus, est in vigore paroxysmi, & non in principio, & incremento eorum, calore nondùm per universum corpus explicato, sic enim ad interiora calor repelleretur, & augeretur.

382. Antequàm multitudo phlebotomia, seu materia lenitivo est imminuta, nequaquàm epithemata refrigerantia adhibenda sunt.

383. In principijs febrium detestantur omnia styptica, non tàm extrinsecùs, quàm intrinsecùs exhibita. Hæc enim augent obstructiones, & materiæ putridæ evaporationẽ & transpirationẽ prohibent, & vapores in corpore detinent, compingũtq;. Tamen ubi calor modũ excedit, frigida humectantia administramus, ne virtus prosternatur. Melius enim est morbum augeri, quàm virtutem deficere.

384. Ad provocandum sudorem utimur aqua hordei calida, ad sedandam sitim, frigida, ad provocandum vomitum, tepida.

385. In oxyrrhodinis sit oleum recens, non antiquum, quia tempore acquirit acredinem.

Aceti

Aceti usus suspectus est, ubi adest siccitas, dolor, inflammatio, ulcus, adstrictio, dolor à nervis, & vigiliæ. 386.

Vsus oxyrrhodini detestatur in dolore capitis puerorum, mulierum & decrepitorum, quia in his calor nativus debilis est & exiguus: sic in ijs, qui somnolenti sunt, & catarrho molestantur. 387.

Qui, antequàm corpus probè evacuatum est, utuntur fomentis aut frictionibus, aut catplaasmate circa hypochõdria, aut circa pectus, illi sæpiùs in ijs partibus inflãmationes pariunt, aut in epate, aut in ventriculo, aut in aliquo è visceribus. Nonnunq;, etiã in ipso fomentandi tempore accidit anhelitus difficultas, totũ scilicet id, quod redundat, ad præcordia trahẽte caliditate. Attrahit enim cataplasma cucurbitulæ instar totius corporis excrementa. Cucurbitulis itaq; & discutientibus, relaxantibusq;, non, nisi universo corpore exinanito, utendũ est. 388.

Post frigidum medicamentum hypochondrijs applicatum, alium difficilis confestim anhelitus, alium verò subita tussis corripit, eo autem remoto, paulò pòst utrunq; nocumentum cessat. 389.

Quando duo morbi complicantur, tùm ab eo curatio est inchoanda, qui causa existit alterius, & sine quo alter curari non potest. 390.

Quando epar adest calidum, & stomachi dolor ex causa frigida unà adsit, tùm extrinsecùs epatis intẽperies cum ceratoGaleni alteretur, & æger nequaquã in dextro latere dormiat. Intrinsecùs verò, 391.

quæ

quæ flatus dißipent, & ſtomachum confortent, offerantur, & craßiuſculè contuſa ſint, ne per anguſtas vias ad Epar pertingant, aut conficias medicamentum, quod utrumq; membrum reſpiciat.

392. Quando aliquis laborat calculo & catarrrho ſimul, tùm principiò catarrho ſubvenias, & divertatur per nares errhinis, & confortetur cerebrum, poſtea calculo levibus diureticis ſuccurras, poſtremò fortioribus utere.

393. Quibus ſtomachus nauſeabundus, & alvus adſtricta, his primò, quæ alvum emolliant, offerto, ad poſtremum verò, quæ ſtomachum corroborent, & eius os adſtringant, exhibeto. Hæc enim quæ ventri innatant, deorſum propellunt.

394. Quando Lien craßis & viſcoſis afficitur humoribus, pulmo verò à tenui & acri deſtillatione moleſtatur: tùm quæ fluxum condenſent, & catarrhum ſiſtant, exhibeantur. Lieni verò epithemata attenuantia imponantur, poſtremò verò Theriacæ recentis uſus optimè valet.

395. Quando cum febri paralyſis complicatur, tùm febris principiò curanda eſt, non neglecta tamen paralyſi. Ideò hîc uſus ſyrupi acetoſi ſimplicis cum melle roſato colato, plurimùm valet.

396. Quando cum dyſenteria complicatur tuſſis, tùm ſtyptica cum lenientibus pectus commiſceantur.

397. Quando in Diabete unà adeſt corporis extenuatio ſeu phthiſis, tùm circa lumbos & veſicam

cam adhibemus frigida, ſpinam verò uſq; ad medium dorſi, & pectus inungimus refrigerantibus, humectantibusq;.

Quando aliquis laborat calculo, & mictu 398.
ſanguinis, tùm modò ſtypticis, modò diureticis alternatim utere, vel quod meliùs, ambo ſimul permixta offerantur.

Quando circa caput epithemata, & inun- 399.
ctiones refrigerantes, & humectantes, vel etiam eiuſmodi medicinæ immodicè intra corpus offeruntur, tùm plærumq; ſuccedit, aut lethargus, aut oblivio, aut ſomnus: ſic ubi immodicè non tàm intra, quàm extra corpus utimur calorificis medicamentis, accidunt vigiliæ, aut ſoda.

Quando ſtomacho vehementer calida un- 400.
guenta, & emplaſtra adminiſtrantur, accidit coctio corrupta, unde choleræ praſinæ, & æruginoſæ vomitus, ſic ructus nidoroſi, ac fœtidi, item appetitus proſtratus, ob os rarefactum relaxatumq;. Idem accidit in febre intenſa, quare refrigerantia ſtyptica pro ſtomachi confortatione hîc exhibenda ſunt.

Quando pectori ſeu cordi unguenta vel epi- 401.
themata vehementer calida adhibentur, undè cor ſupercalefiat, accidit indè pulſus, ſeu ſpiratio aut magna, aut celerè, aut frequens.

Quando pectori ſeu cordi immodicè refrige- 402.
rantia adhibentur, tùm accidit pulſus parvus, tardus, ac rarus, ſic etiam difficilis ſpiratio.

Curatus

403. Curatus nequaquàm in frigidiusculo degat loco. Facilè enim ob corporis raritatem concoctio debilitatur. Ad duos autem menses per diem sæpiùs, parum tantùm cibi semel offerendo, cibetur, sitq; ea cibi quantitas, quæ minimè stomachum gravet.

404. In reconvalescentia palpebrarum inflatio, aut appetitus corruptus, vel prostratus, aut frequens nausea, aut stomachi inflatio, aut si urina sedimentum non habet, hoc signum est recidivæ.

405. In reconvalescentia, vini usus optimè confert. Coitus verò detestatur.

406. Quando sudor in convalescentia multiplicatur propter materiæ reliquias, bonum est parvam facere minorationem.

407. Diæta reconvalescentium in hoc consistit, ut restaurentur vires & humectetur corpus.

408. Regimen convalescentium, tribus completur intentionibus: prima est, alterare dyscrasiam relictam, secunda, confortare principalia membra, & præcipuè nutritiva, tertia, materiam relictam, seu de novo coacervatam, digerere, & evacuare.

409. Quando ad locum remotum materiam revellere intendis, mitiga priùs dolorem loci affecti. Sic enim minor fiet tractionis violentia, cùm dolor ipse trahat.

410. Humor fluens sursum, revellendus seu retrahendus

hendus est deorsum, si deorsum, sursum, si intrò, foras, intrò, si ad dextram, ad sinistram, si ad sinistram, ad dextram, si retrorsum, antrorsum, & si antrorsum, retrorsum.

411. Revulsio sive retractio causæ antecedentis, id est, materiæ influentis, fit aliquando cum evacuatione, ut vel scarificatione, vel venæsectione, aliquando sine evacuatione, ut vel deligatura, vel fricationibus, vel cucurbitulis.

412. Revulsiones cum evacuatione semper sunt efficatiores, quàm revulsiones sive evacuatione.

413. Revulsio nunquàm fiat, nisi per unum diametrum, ut à dextra ad sinistram, vel à deorsum sursum, aut econtrà. Secundum autem duos diametros non est fienda phlebotomia, nisi maxima adesset plenitudo.

414. Revulsio nihil aliud est, quàm materiæ influentis ad membrum, à quo venit, hoc est, ad membrum mittens retractio.

415. Revulsio pertinet ad causam antecedentem, hoc est, ad materiam influentem. Derivatio verò ad causam coniunctam, hoc est, ad materiam fluxam.

416. Repellentium usum, si succedit dolor aliquo in loco, indicat materiam eò esse repulsam, & vide, ne apostema ibi sit, quod ex febre manifestum fiet: Si autem corruptio & denigratio membri, significat calorem nativum esse extinctum, & membrum

membrum immodicè esse refrigeratum. Si verò apostematis durities, materiam ibi congelatam concretamq; esse denotat.

417. Ex usu repellentium sæpè dolor augetur, intenditurq; ob fuligines mordaces, & humores acutos in loco affecto detentos, conclusosq;, qui ob poros cutis adstrictos, transpirare non possunt.

418. Prohibemur uti repellentibus in sex casibus; primò apostemate in emunctorio enato: secundò, si materia est venenosa, ut in peste, hic enim potius attrahentia adhibenda: tertiò, ubi materia fuerit crassa & tenax, ne hæc ex usu repellentium crassior, & resolutioni omninò inepta reddatur, quartò, apostemate ratione crisis enato: quintò, antequàm corpus pharmaco, vel phlebotomia, inanitum sit: postremò, ut seni confectis.

419. Sic quando materia existit in profundo, ut in sciatica, nequaquàm repellentia adhibeantur, ne sanguis ex vicinis & ambientibus musculis ad convexum in alto situm impellatur. Quare in principio opus est pharmacis lenitivis, quæ neq; omninò refrigerent, neq; fortiter calefaciant. Etenim quæ refrigerant, ad convexum materiam impellunt, quæ verò vehementer calefaciunt, aliam ampliùs materiam ex adiacentibus partibus attrahunt.

420. Quando materia iam est fluxa, utimur relaxantibus medicamentis cum repellentibus permixtis. In augmento autem repellentia prædominan-

dominantur. In statu verò exuperant relaxantia.

421. Quando post usum Diaphoreticorum dolor augetur, signum est corpus adhuc immundum esse, ideoq; plus materiæ esse attractum, ideò redeundum est ad mittentium evacuationem, & confortationem.

422. Quando materia iam fluxa est, etiam derivatione utimur, vel in parte affecta, vel in maximè vicina.

423. Nunquàm nec intrinsecùs, neq; extrinsecùs utere resolutivis & attenuantibus vehementer calidis, ne pars subtilis resolvatur, & crassa exiccetur, petrificeturq;. Ideò cum resolutivis semper commisceantur humectantia, lenientia, mollificantiaq;, ne tumor in scirrhum convertatur.

424. In declinatione meris resolutivis utimur, ut balneis, thermis. Horum autem usus improbatur in his, quibus calidum epar est, & renes calidi sunt, undè urinæ ardor aut ascites.

425. Vbi materia in profundo existit, ut in sciatica, tùm evocetur, & resolvatur emplastris attrahentibus, vesicatorijs, sinapismis, & cauterio.

426. Circa declinationem tutò vinum & diuretica exhibentur.

427. Vbi materia fluxa non potest resolvi, sed iam tendit ad suppurationem, adhibe medicamenta pus moventia, sed horum usus sit moderatus,

ratus, ne membrum putrescere & corrumpi incipiat.

428. Fortis maturatio membrum ad putrefactionem gangrænosam disponit.

429. Quando anodynis & resolutivis, ut decet adhibitis, dolor non mitigatur, sed potiùs febris, & dolor indè augetur, signum est apostema tendere ad suppurationē, ideò maturativa adhibe.

430. Rupto abscessu utere absterſivis, sed vidè ne adeò fortia sint, ut cavitatem augeant & fluxionem excitent, postea cavitatem replere carne studeas.

431. Nota sufficientis absterſionis est, ubi nihil saniei ampliùs effluit.

432. Sarcoticis ante perfectam mundificationem utendum non est.

433. Dùm sarcoticis uteris medicamentis, diæta sit euchyma, ut bonus sanguis, qui materia est carnis, regeneretur.

434. Nulla topica medicamenta, ante corporum evacuationem administranda sunt.

435. Calefactoria & resolventia, ac cataplasmata, ubi refrigerari incipiunt, confestim auferenda sunt, ne sua actuali frigiditate materiam inspissent, & poros claudant.

436. Quando administrantur calorifica, seu diaphoretica, seu anodyna, si indè dolor intenditur, tùm auferantur & dimittantur, & redi ad materiæ exuperantis evacuationem, & membri mittentis, seu

tis, seu generantis confortationem. Hoc enim indicat, corpus esse aut plethoricum, aut cacochymicum.

Emplastra, unguenta, sacculi, embrochæ, epithemata, caputpurgia; hæc omnia calidè, & ieiuno stomacho adhiberi debent. 437.

Quando intentiones sumptæ à febri, & causa eius non concordant, consentiuntq́, ut febris, quæ, cum intensa sit, requirat refrigerantia & humectantia. Causa verò eius sit frigida & phlegmatica. & ideò requirat calefacientia, attenuantia & exiccantia, tùm rei magis periculosæ succurrere memento. Vbi enim febris sæva & intensa sit, primò refrigerantia & humectantia offeras, ne ex usu calidorum & siccorum medicamentorum virtus prosternatur, postea verò & causæ attendas calorificis medicamentis. Melius enim est protrahere morbum, quàm virtutem succumbere. Sed quando virtus fortis est, & corpus aptum ad resistendum resolutioni, ex parte eius compositionis, quod scilicet sit crassorum humorum, strictorum pororum, & phlegmaticæ complexionis, tùm potiùs causæ, quàm febri, attendendum est. Hìc enim rarò adeò intensa adest febris, quæ rectam curationem impediat. Quare in febribus putridis, in nostris regionibus, prior intensio sit ad causam, quàm ad febrem. 438.

Nonnunquàm accidit, quòd febris causa, & etiam symptoma ipsum invicem contrarientur, ut in febri syncopali humorosa. Febris enim exigit 439.

refrigerantia, causa verò, calorifica & attenuantia, syncope verò, cibi oblationem. Quare, quod magis inter hæc periculosum est, huic inprimis succurratur, reliquis non neglectis. Melius enim est, morbum protrahere, quàm naturam deficere.

440. *Quidam nonnunquàm corripiuntur acuta febri, & stomachum habent frigidum valdè. His extrinsecùs stomachus inungatur calorificis: Intrinsecùs verò temperata, ad frigidum tamen nonnihil declinantia offerantur.*

441. *Antequàm administras alicui membro resolutiva & relaxantia medicamenta, tùm inprimis membrum aliquo resolvente fomentetur, aut priùs membrum calefiat pannis calidis, aliquoties impositis, ut sic pori aperiantur, & postea unguenti vis melius penetrare possit, membroq; inuncto rursum panni calidi superponantur.*

442. *Quælibet symptomatica excretio facta cum regulatione naturæ, nequaquàm est cohibenda. Est enim bona per viam causæ, quam minuit, & quandoq; eradicat. Sed excretio symptomatica, quæ absq; regulatione naturæ fit, illa est sistenda.*

443. *Hydromel non detur ijs, in quibus calor est præter naturam; quia calorem auget. Neq; detur ijs in quibus cholera exuperat. Facilè enim in choleram convertitur: Sed in materia frigida, crassa, abstergendo & concoquendo, valet optimè.*

Oxisac-

Oxysaccharum valet, ubi oppilatio est cum 444.
caliditate, oxymel simplex, ubi cum frigiditate, syrupus acetosus verò simplex, ubi cum caliditate vel frigiditate.

Quando confortativum aliquod plura respi- 445.
cit & confortat membra, ut Dianthos confortat cor, cerebrum, stomachum, &c. tùm ex speciebus eius facias, aut Electuarium, aut rotulas, addendo vehicula, quæ respiciant membrum illud, quod confortare intendis. Vt si Dianthos præcipuè debet confortare caput, tùm accipe species Dianthos, quibus adde pulnerem nucis Moschatæ, cubebarum, semen pæoniæ, & cum aqua salviæ formentur rotulæ. Idem de syrupis, qui indiscriminatim totum respiciunt corpus, intelligendum est.

Quando materia in profundo corporis, & in 446.
remotis existit, tùm medicinæ quantitas est augenda, ne eius vis, antequàm ad locum affectum perveniat, resolvatur. Deindè, cùm eiusmodi medicina commisceatur dirigens seu vehiculum aliquod, quod medicamenti vim ad locum affectum traducat, perferatq;.

Vomitus lædit eos, quibus pectus strictum est, 447.
longum collum, & spiritalia debilia, sic phthisicos & insolitos vomere, præpingues seu crassos, qui ad anginam, vel sanguinis sputum parati sunt, & quibus oculi sunt debiles, & cerebrum infirmum.

Vomitivum non detur, ubi stomachi adest 448.

fortitudo, ubi fames adeſt, & quando alvus leniùs eſt.

449. *Macilentis convenit vomitus, ob eorum biliosam naturam.*

450. *Poſt vomitum nonnunquàm ſuccedit ſingultus, ob materiam motam, & ad ſtomachum attractam.*

451. *Poſt vomitum, os & facies abluantur aqua roſacea, aut vino bono ſtyptico, aut aceto & aqua tepida, quibus ſi cinnamomi aliquid addideris, nihil erit melius.*

452. *Sanguinis miſsio à vomitu, differenda eſt uſq; ad tres dies.*

453. *Ventriculum valdè debilitat vomitus. Quare ſtomachus indè aromaticis ſtypticis, aut vino cum cinnamomo, confortandus eſt.*

454. *Cauterium partibus capitis adhibitum, eſt res eximia ad exiccandum catarrhum, & ad abſumendos corruptos humores in cerebro exiſtentes, & ſic præſervat à phthiſi, tuſsi, aſthmate, angina, ozæna, Noli me tangere, & ulcere pulmonis. Valet etiam in epilepſia, ad dolorem capitis antiquum, & ad intercipiendum oculorum fluxum.*

455. *Cauterium nunquàm adminiſtretur niſi corpus probè evacuatum ſit, vel phlebotomia, vel cathartico, ut Medico expedire videtur.*

456. *Cauteria adminiſtranda ſunt in aurora, alvo & veſica priùs exoneratis.*

Quando

Quando cauterium adhibemus ad evacuandum, tùm apertum teneatur per quadraginta dies, & quotidiè locus mundificetur ſemel, aut bis, interdum lavetur locus cum decoctione foliorum hederæ terreſtris & arboreæ, ut locus cauteriſatus non fœteat. Sed quando adhibetur cauterium ad reſtringendum, tùm non teneatur apertum. 457.

Cauteriorum uſus deteſtatur in infantibus, propter membrorum nimiam mollitiem: ſic in ſenibus, propter nimiam membrorum ſiccitatem. 458.

Cauteria non adminiſtrentur tempore valdè calido, nec tempore valdè frigido, vel ſicco. 459.

Cauteria non fiant ſuper muſculos. 460.

Cave ne cauterium pertingat ad nervos, chordas & ligamenta iuncturarum, ne accidat ſpaſmus. 461.

In intemperie membri calida & ſicca, deteſtatur cauterij uſus: Sic enim calor calori, & ſiccitas ſiccitati adderetur. Sed ad intemperiem membri frigidam & humidam alterandam corrigendamq;, ſummè commendatur cauterij uſus. 462.

Cauterium optimè facit ad interficiendam venenoſitatem, ut in carbunculo, anthrace, &c. 463.

Cauterium optimè valet in ſphacelo, & membri corruptione. Sic & in oſſe corrupto: ſeparat enim os putridum à ſano. 464.

Inter metallica inſtrumenta ignita, quibus aduſtio fit, præſtantius eſt aurum. 465.

466. Caveat ille qui urit, ne ferramento illo ignito, usq; ad nervos & tendines pertranseat. Cauteria itaq; nequaquàm supra iuncturas ponenda.

467. In vicino loco circumponatur defensivum, ne vicinæ partes corrumpantur.

468. Stupefactiva, neq; in colica, neq; iliaca sunt offerenda, nisi periculum de syncope adsit, propter doloris vehementiam, tamen in causa calida ijs tutiùs utimur.

469. In Iliaca & colica ex materia frigida, propter narcotica exhibita, materia fit crassior, & compactior, indè obstructio maior fit, & dolor intenditur. Ideò quidam cum narcoticis solutiva commiscent, ut simul & dolor mitigetur, & materia peccans evacuetur.

470. Emplastris, quæ ventri administrantur, parum aceti addi debet, ut virtus emplastri penetrare possit.

471. Quando aliquis percussus aut ictus est, aut ex alto decidit, tùm considera num intestina sint dislocata, vel an Matricis adsit dislocatio, aut vesicæ, vel nùm locus epatis sit dislocatus, undè vehemens dolor in loco affecto exoritur. Hìc etiam vide, nùm sanguis exeat, vel per urinam, vel per alvum, vel vomitu aut tussi reijciatur. Hoc enim indicat, venam aliquam ruptam esse. Item, nùm in loco icto aut percusso, aliqua adsit nigredo, seu livor. Hoc enim insinuat, sanguinem ibi esse concretum.

Quando

Quando lapsum ex alto, seu ictum succedit 472.
febris, tùm insinuat apostema obortum esse.

In morbis chronicis, in quibus longa facta 473.
est impressio in membris, non tàm in declinatione, quàm in convalescentia refert multùm, diu administrare leviter purgantia, pharmaca, & levia aperitiva, & confortatiua membrorum, ne accidat recidiva.

In medicinis splencticis, semper admiscen- 474.
dum est acetum.

Quando adest vomitus immoderatus, aut 475.
fluxus ventris modum excedens, tùm vomitus aut fluxus ventris sistendus est stypticis, etiamsi materia corrupta & prava in corpore detineatur, ne virtus omninò prosternatur, & syncope succedat. Ideò inprimis debemus intẽdere conservationi virtutis, & eius restaurationi, & fluxus restrictioni, etsi materia mala non sit evacuata. Sed virtute restaurata refocillataq;, per quinq; aut sex dies post pharmacum deiectorium offeratur, ut materia prava & corrupta, retentaq; expurgetur.

Quando locum aliquem calido oleo inunxeris, 476.
tùm calidis manibus oleum infricetur, & pannus calidus superponatur.

In causa calida ubi adest vomitus, aut flu- 477.
xus ventris modum excedens, tùm medicamenta intra corpus exhibita, actu frigida offerri debent, quia caliditas rarefacit, & laxas reddit stomachi partes. Frigiditas verò unit & densat sto-

ſtomachi partes, & ſtomachi intemperiem calidam, ac ſitim minuit, & appetitum incitat, corrugando ſcilicet ſtomachi partes.

478. In morbis chronicis, digeſtiva, ſolutiva & confortativa, ſæpè ſunt repetenda, & ſemper à levioribus incipiendum, & ad fortiora procedendum. Interdum tamen, uſus medicamentorum intermittendus, ut natura non obruatur, & eis aſſueſcat. A conſuetis enim nulla fit paſsio.

479. Olea, antequàm adminiſtrantur, calefiant priùs in duplici vaſe, & non apud ignem: ſed in aqua calida. Nam apud ignem eorum virtus diſſolvitur.

480. Aromatum odor, ſtante repletione, deteſtatur, ut in morbi principio.

481. Quando aliquis ſanguinem reïcit vomitu, aut tuſsi, tùm obſerva, nùm ſuccedat color faciei citrinus, aut lividus, & debilitas, ſeu caſus pulſus, vel ſyncope, vel inflatio ſtomachi, hæc indicant ſanguinem in corpore eſſe concretum, coagulatumq́. Igitur, quæ ſanguinem concretum diſſolvant, offerantur.

482. Ad reſtringendum, ſiſtendumq́ vomitum, fomentationes, inunctiones, emplaſtra, cerata, debent præcipuè orificio ventriculi applicari. Ad ventris verò fluxum ſiſtendum, hæc potiùs fundo, quàm ori, applicanda ſunt.

483. Quando plures ægritudines invicem complicantur, tùm curatio incipienda eſt ab ea ægritudine,

tudine, quæ harum unam habet proprietatem. Prima eſt, quãdo una non poteſt ſanari, antequàm altera curetur, ut quando cum ulcere coniungitur apoſtema, tùm curatio ab apoſtematis curatione incipienda eſt: Altera, quando una ægritudo eſt cauſa alterius: Tertia, quando cum apoſtemate dolor vehemens complicatur, tùm enim à doloris mitigatione curatio incipienda eſt.

Nullus criticus fluxus eſt reſtringendus, qui confert, quemq́ natura benè tolerat. Quòd ſi verò ſuperfluus fuerit, tùm eſt cohibendus, quia ſæpiùs natura inchoat ad bonum, ſed materia mota, aut propter multitudinem ſui, aut acuitatem effrenitat, ita ut non poſsit à natura regi. 484.

Fluxus diverſorum colorum, nunquàm reſtringendus eſt, conſtante virtute, quia ex hoc arguitur diverſitas & multitudo humorum à toto. 485.

Localia non debent adminiſtrari, niſi poſt probam corporis evacuationem, & in ſtatu, vel declinatione ægritudinis, & non in principio, vel augmento, neq; ante purgationem corporis, ne virtute ſua actuali, & virtuali caliditate, plùs materiæ attrahatur, & avertatur ad locum affectum, & error poſterior fiat peior priori. 486.

In fluxu liquefactivo, in febribus acutis, & peſtilentibus, phthiſi ac febri hectica, calor liquefaciens, mitigetur moderatè refrigerantibus, ne debilis calor fortioribus extinguatur, ſic etiam moderatè ſtypticis, ne forti adſtrictione oppilan- 487.

oppilando, prohibeant transitum nutrimenti ad membra.

488. In sanguinis narium profluvio, mictu, & mensium fluxu, tùm phlebotomiæ revulsivæ usus confert, quando corpus plethoricum est, sed quando corpus malij est coloris, ut citrini, tùm omittatur phlebotomia. Est enim nota epatis imbecilli & frigidi, ob immodicam sanguinis evacuationem. Ideò medicamentis sanguinem sistentibus adijciantur, quæ epar confortent, sicut est spica, squinanthum, mastix, corallia, rosæ, &c.

489. In sanguinis profluvio, in principio frigida, & adstringentia medicamenta extrinsecùs administrare, non est tutum. Sic enim sanguis intrò compellitur, ac venæ, quæ in alto sunt, implentur, unde hæmorrhagia augetur, sed postquàm sanguinem aliò, aut sanguinis missione, aut frictione, aut devinctione averteris, tùm refert, si sanguis ex pulmonibus reijcitur, thoraci hæc administrare, si vomitu redditur, ventri, si verò è naribus sanguis profluit, fronti ac capiti admovere.

490. Pulveres, quibus ad sistendum sanguinem utimur, subtilissimè debent esse pulverisati.

491. In quolibet sanguinis profluvio & sputo, non est tutum, statim à principio extrinsecùs corpori administrare refrigerantia. Sic enim sanguis & calor fugiunt & petunt inferiora, undè sanguis tenuior & calidior & fluxibilior fit, undè sanguinis fluxus intenditur.

Medica-

Medicamenta exquisitè mollientia, membris principalibus, & quæ ijs vicina sunt, administrata, magnum vitæ periculum adferunt. 492.

Curatio à morbi causâ semper est incipienda, nisi sævum aliquod symptoma obstet. Oportet enim Medicum semper respectum habere dextro oculo ad ægri vires, sinistro verò ad morbum. Inprimis enim virtus servanda est. 493.

In scirrhosis affectibus adhibeto medicamenta, quæ tepido calore, ac modicè emolliendi vi prædita sunt. Quæ enim vehementer calida & sicca sunt, id quod tenue est, resolvunt, digeruntq́, quod verò crassum est, relinquunt, & in lapideam duritiem convertunt. Si vero vehementer mollientibus utaris, nihil resolves, sed potiùs membrum corrumpes. Idem de melancholicis quoq́ affectibus intelligendum est. 494.

Topica sæpiùs sunt mutanda, præsertim, si nullum succedat levamen. Accidit enim sæpè, ut una hora medicamentum aliquod ægro commodo sit, altera verò hora noceat, & dolorem excitet. 495.

Odoramenta frigida ex rebus refrigerantibus composita, ut pomum ambræ, semper aliquid odoriferi calorifici admixtum habent. Quia calida maiorem habent cognationem cum spiritu, quàm frigida. Ad hæc calida sunt, quasi frigidorum vehicula: Faciunt ut frigidorum vis 496.

rum vis melius ad interiora penetret, deferaturq;.

497. Emplastra ad materiam in capite existentem resolvendam, adhibemus, pilis priùs novacula detonsis. Debet autem post abrasionem caput priùs panno calente demulceri, ut sic removeatur frigiditas, soliditas & oppilatio cutis, per ferrum inducta.

498. Narcotica, corpore inanito & evacuato, offerantur, in vino calido, sic enim celeriùs ad actum deducuntur.

499. Narcotica, vesperi, circa introitum lecti, offerantur. Refert autem cœnam eo die omittere, ne cibus corrumpatur.

500. Embrochis ubi uti volueris, tùm ægro priùs corona ex panno convoluto & contorto facta, imponatur capiti, ne embrocha infusa confestim defluat. Administrentur autem in anteriori capitis parte, circa coronalem commissuram.

501. Repellentia extrinsecùs medicamenta adhibere in pleuritide, periculosum. Metus enim est, ne materia repellatur ad cor, aut ne materia crassior, & ad expulsionem ineptior fiat: Ideò semper ab anodynis est incipiendum. Sed hìc memineris, quòd curatio semper à phlebotomia sit auspicanda, & tùm primùm anodyna administrentur.

502. Reconvalescentes plærunq; alvum duram habent, ob immodicam ciborum in corpus ingestionem.

Quando

Quando uteris fomentis, tùm sic cooperiantur, ne fumus fomenti à pulmone inspiretur, attrahaturq; : quia fumi inspirati calefaciunt, & implent pectus, & faciunt angustiam & caliditatem, & febrim augmentant. 503.

Quidam morbi, præsertim febres, libenter per fluxum sanguinis narium criticant. Ideò cautè agendum est, ubi caput dolere incipit, cum oxyrrhodynis, & alijs medicamentis refrigerantibus, ne impediatur crisis. 504.

Emplastra, unguenta, & alia topica medicamenta ad vitia vesicæ, ani, pudendi, matricis, calidè administranda sunt. Nervosis enim membris frigidum est inimicum. 505.

Emplastra seu epithemata refrigerantia, si administrari debent nobili membro, tùm non actu frigida, sed tepida imponantur: nisi intensus admodùm calor adsit. Tùm enim actu frigida adhiberi possunt. 506.

Quamprimùm refrigerans medicamentum calefit, & desiccatum fuerit, tùm mutetur, & aliud adhibeatur, idq; tàm diu facias, donec sentias caliditatem membri esse alteratam, & refrigeratam. Si enim ultrà modum medicamentum in loco immoretur, tùm supercalefit, nec amplius refrigerat: sed calefacit sua acquisita caliditate. 507.

In omnibus unguentis, ceratis, & emplastris, 508.

ſtrùs, generaliter ſemper debemus addere aliquid aceti, aut vini modicum, ratione penetrationis, hoc in cauſa frigida, illud in cauſa calida.

509. Omnia unguenta debent adminiſtrari calida aut tepida. Ante applicationem verò unguentorum, debet locus fricari cum pannis calidis, ut pori ſic aperiantur.

510. Vbi poſt frictionum, cucurbitularum, cataplaſmatum, fomentorum uſum, dolor intenditur, aut gravitas ſeu dolor, aut anhelitus difficultas ſubſequitur, tùm certum eſt, corpus non eſſe ſufficienter purgatum, & aliquid recrementorum eſſe attractum, & ſi ſuccedit febris, tùm ſuſpicio adeſt ab apoſtemate oborto. Ergo hìc, ad membrorum mittentium purgationem, & confortationem, redeundum eſt. Hoc enim ſignificat corpus eſſe aut plethòricum, aut cacochymicum.

511. Maturativa, ſi immodicè uſurpentur, membrum ad gangrænoſam putrefactionem deducunt.

512. Sarcoticis ubi uſus fueris, obſerva nùm parciùs, aut nimiùm ſiccaverint. Si parciùs quàm debent ſiccaverint, pluſculum ſordis adfuerit, & ulcus humidius redditur: ſi verò nimiùm ſiccaverint, ulcus purum abſq; humore cernitur.

513. Loci dolor ubi ex inunctione oleorum augetur, ſignum eſt ex olei uſu inflammationem augeri.

514. Vomitu, cholera, dyſenteria, & Diarrhæa, ante-

antequàm corpus ſufficienter purgatum eſt, cohibita, ſæpè ſuccedit capitis dolor, Melancholia, apoplexia, angina, hydrops, lethargus, phrenitis, arthritis, podagra, aut urinæ ardor.

Quando in cutis defœdationibus ac ſcabie, 515.
corpore purgato, balneis, ac inunctionibus æger non curatur, ſignum eſt multitudinis humorum, & eius craſsitiei. Quare materia de novo digeratur, purgetur, inungatur & balneetur, & curabitur.

Humor aut flatus ubi continetur in iunctu- 516.
rarum cavitate, vel rodendo, vel alterando membri complexionem, vel diſtendendo nervos, muſculos ac chordas, excitat intenſum dolorem; ubi verò continetur inter os & panniculum ipſum circumdantem, tùm efficit dolorem intenſiſſimum. Quod verò dolor diu duret, in cauſa eſt tenacitas, & craſsitudo humorum in denſa pellicula incluſorum, & à viribus debilibus ſegniter correctorum.

Ex immodico adſtringentium medicamento- 517.
rum uſu, intra corpus oblatorum, ut in Diarrhæa & ruptura, accidit, aut ventris conſtipatio, aut venarum meſeraicarum obſtructio. Ventris itaq; conſtipatio tollatur, cum molliéntibus clyſteribus, venarum verò oppilatio, cum aperientibus, ut decet.

Nonnunquàm ex caſu ſeu ictu, rumpitur ve- 518.
na cava, aut venæ emulgentes, tùm ſanguis defluit, aut in pectoris concavitatem, & ſuffocat ægrum, aut in ventris concavitatem, unde ventris tumor aut hydrops.

519. *Aſſiduis curis, medicationibus, iugis ſtudijs, laboribus ac vigilijs, principes partes nonnunquàm plus æquo incaleſcunt, præſertim iecur ac caput, qua ex cauſa ſucci, qui in eas partes ſuapte natura, vel tranſmittuntur, vel illic gignuntur, earum calore aſſantur, & ad atræ bilis naturam deveniunt.*

520. *In alcola acutus humor & ſaliva ad ſtomachum & inteſtina delata, ac virtutem expultricem irritantia, ventris fluxum excitant.*

V.

De morbis indeterminatis ſive totius, ac primùm de febribus.

521. *Vrinarum ac pulſuum iudicia atq; differentias, exactè ſcire Medicus tenetur. Quoniam febrium genera, cauſarum & temporum ipſarum differentiæ, his duobus cognoſcuntur.*

522. *Mitioribus factis febribus, aut à ſuo paroxyſmo diſtantioribus, naturali calore tunc pedibus calefactis, emiſſo priùs lotio, & corpore ſudore non madente, atq; in hora diei frigidiori, ſorbitionem ſolutivam exhibere poteris, alioqui pernicioſum eſt.*

523. *Si propter multitudinem materiæ, vel eius acuitatem, ante ſigna digeſtionis, febricitans incompletè*

completè criticaverit; cum pharmaco eradicativo ſeu ſcammoniaco, reſiduum eius materiæ non educes: ſed facili ac benigno.

524. *In febribus acutis incocta morbi materia à ſyrupis compoſitis, aut ſubtiliantibus, omninò abſtinendum eſt.*

525. *Fulvum vinum, & nigrum auſterum, acutè febrientibus, capitis gravitatem inducunt, mentem turbant, ſputi quoq; exitum impediunt, & lotij.*

526. *Furor quidam & fletus, ira, triſtitiaq;, & ſolicitudo amplior, quàm oportet, & vigiliæ, quæ ſuper his fiunt, febrium & aliarum ægritudinum ſunt principia.*

527. *Flava bilis humoribus cæteris calidior, & ſiccior, exquiſitam ſortiens tertianam, ſi ad ventriculum repat, per vomitum educatur, ſi verò ad inferiora declinet, per alvi ſubductionem. Vrina etiam huiuſmodi febrem patientium, potionibus, in quibus apium aut anethum maduerit, provocanda eſt. At ubi concoctionis ſigna monſtrantur iam, cum fiducia abſynthij cremorem exhibere poteris.*

528. *Si febrem curaveris cum his, quæ cauſam eius adaugent, nulla tibi ſpes erit, per quam hæc febris tollatur. Nam morbi cauſa adaucta, morbum creſcere certum eſt.*

529. *Secundum febrium ſimplicium curam, cura ſit compoſitarum.*

530. Alvum solvere solutivis lenibus, & non cum laborioſis, multùm iuvat febrientes.

531. Acutè febrientium fauces, cum frigidis humectare, haud parùm iuvat ægrotantes.

532. Cùm in febribus putridis non ſit poßibilè ſanari, niſi ceſſet materiæ putredo, quam ceſſare impoßibilè eſt illius cauſa manente, ob hæc ipſam priùs abſcindere decet, poſteà putredinem.

533. Vltra debitam naturæ temperiem, ſpirituum inflammatio, febrim facit ephemeram: ſed ipſorum corporis humorum, intenſus fervor putridam febrim gignit, & ſolidorum membrorum hecticam.

534. Ex primitivis cauſis Ephemera febris, (quam Diariam appellant) dependet. Putrida verò ab antecedentibus, & hectica à coniunctis.

535. Febrilis caloris generatio, ob calidi effluvij ſuppreßionem, oritur, aut propter exceßivum motum, ſuccorumvè putredinem, aut propter caloris extranei cum innato mixtionem.

536. Febrilis caloris cor ſedes eſſe dicitur, quia, ſi cætera membra priùs incaluerint, donec ipſum efferbuerit, nuſquàm febris oritur.

537. Exuperantes humores, cuiuſvis generis ſint, antequàm putreſcant, febrim nequaquàm faciunt.

538. Interpolatarum febrium, quælibet typum habet ſibi proprium, ab alijsq; differentem. Rigor enim tertianam, frigus quotidianam, & horripilatio quartanam præcedit.

Tertia-

Tertianam puram pura cholera facit, cum 539.
phlegmate verò mixta, generat ipſam notham.

Flava bilis putreſcens, cauſonem facit, cro- 540.
cea tertianam, vitellina hemitritæum dat. Praſina autem & æruginoſa in ſolo ſtomacho genitæ, nec ipſum tranſeuntes, nec etiam putreſcentes, nunquàm febrim faciunt.

Ex putri pituita, quotidiana febris naſcitur. 541.
Ex bile ſolùm tertiana, ab atra verò gignitur quartana.

Vt quantum ſucci diverſi in corpore ægro 542.
acceßionum circuitiones evariant: ſic tantùm error ipſius ægri in regimine factus circuitionis ordinem corrumpit.

A principio primæ acceßionis pituitoſæ fe- 543.
bris, affligentis quotidie, ad principium uſq; ſecundi eius acceſſus, interſunt quatuor & viginti horæ. Tertianæ verò quadraginta octo. Quartanæ autem ſeptuaginta duæ.

Humoris abundantia, aut ipſius craßitudo, 544.
ſi adſit virium corporis debilitas, aut ipſius denſitas pororum, longiorem febris acceßionem faciunt, contrarijs verò accidunt contraria.

Neq; incipientibus, nec etiam præſentibus, 545.
ſive appropinquantibus febrium paroxyſmis, cibus erit exhibendus.

Ne virtus à morbi materia concoquenda di- 546.
vertatur, ſubtili diæta & convenienti diætabis ægrotantes.

547. Labore aliquo febrientes, vino sufficienti probè reficiuntur.

548. Vinum, balneum, & epithemata, acutè febrientibus disconveniunt.

549. Acutæ febris terminus est dies decimus quartus, peracutæ verò septimus. Ob id quilibet febriens secundum suæ febris acumen, aptè diætandus est.

550. Ventriculum frigidum, pituitosum, aut ventosum habentes, in acutis febribus, ab herbis, fructibus, aqua hordei, & hordeo cocto, penitùs abstinere oportet.

551. In exquisitis tertianis, à vino, priusquàm morbus concoquatur, omninò abstinendum est, at ubi decoqui cœperit, dandum est ab initio aquosum & paucum. Vbi verò non propè est, ut morbus solvatur, largiùs est offerendum.

552. Hectici semper infrigidandi sunt, priusquàm in marasmum, aut in tabem deveniant, ijs tamen melicratum, & mel, omninò sunt deneganda.

553. Causone febrientes, quorum os amarulentum, & desiccatum est, lingua arida & aspera, atq; oculi ignei, signis digestionis materiæ peccantis cognitis, permittentibus virtute, tempore, & consuetudine, aquam frigidam securè sumere possunt.

554. Vt modicum aquæ igni insperſum vehementius

mentius excitat incendium: sic modicus potus immensè febrienti porrectus sitim vehementiorem facit.

555. Alvo siccata, donec soluta fuerit, non est cibandus febriens.

556. Inanito stomacho febris accessus veniens, sive exacerbatio, minùs ægrotum offendit: repleto verò gravius.

557. Omnes fructus recentes, & multus crudarum herbarum esus, crassaq; cibaria, acuta, aut impura, viscosa, vel citò putribilia, dulciavè, aut styptica, (dùm non adsit alvi fluor) febrientibus maximè nocent.

558. Inter acutè febrientium cibaria, ptisana colata principatum obtinet. Hordeatum autem post illam, & ipsius hordei aquæ potus est convenientissimus.

559. Quibus febrium accessus longiores sunt, aut eorum crises remotiores à principio, & virtutes plus æquo debiliores, crassiori diæta, & ampliori hos reficiendi oportet: Quibus verò contrà, subtiliori.

560. Febres quæ velociter fiunt, ac celeriter crescunt, etsi valdè tenuem victum ijs exhibueris, haud magnum adferes detrimentum. Quæ verò sunt diuturniores, nisi ab initio grandiori cibo reficias, hominem cum morbo pariter perimes, aut intempestivè victus modum commutabis.

561. *Omnibus acutis febribus sudor superveniens, bonum. Apostemata tamen patientibus calida, post materiæ digestionem veniens, parùm, aut nihil prodest.*

562. *Vera tertiana, quæ septem digeritur paroxysmis, absq; periculo patientis terminatur.*

563. *Quotidiana febri laborantium urina candida, tenuis, spissa, vel turbulenta videtur. In tertianis verò crocea satis aut rubicunda. In quartanis verò colore vario, maximè pallido, vel fusco tincta, & in digesta apparet.*

564. *Cuilibet febrium generi sudores proprij sunt, maximè intendentibus. Iuvant autem non parùm & effervescentes inflammationes, si unà cum concoctionibus emanarint à corpore.*

565. *Ex intermittentibus febribus brevissima quidem, ac mitissima est tertiana. Longior autem, ac quantum in ipsa est, non periculosa quartana. Quotidiana verò intermittens, longa, & minimè periculosa.*

566. *Tertianæ febris accessionis brevissimum tempus est, quatuor aut sex horarum: at longissima, undecim, aut duodecim horas complectitur. Et huiusmodi febrium urinæ, tertio die, aut ad summùm quarto, coctionis signum ostendunt.*

567. *Febrium paroxysmi ordinariam horam anticipantes, febrilem materiam superabundare significant, postponentes autem, ipsam diminui.*

Secunda

Secunda febris interpolatæ accessio, aut 568.
continuæ exacerbatio, eadem hora accedens, qua præcedens accessit, morbi longitudinem indicat. Talium verò postpositio, ipsius brevitatem.

Quartana febris non facilè hominem iu- 569.
gulat. Vetus verò rarò, nisi Vere solvitur.

In prima febr. protinus mentem esse tur- 570.
batam, membrum aliquod resolutum, malum.

Sudor frigidus in acuta febri, pestiferus est, 571.
atq; in omni morbo vomitus, qui varius & multorum colorum est, præcipueq;, si malus in hoc odor est.

Sanguinem in febri vomuisse, pestife- 572.
rum est.

Ante febres, si caput grave est, aut ex so- 573.
mno oculis caligant, aut frequentia sternutamenta sunt, circa caput aliquis pituitæ impetus timeri potest.

Si in continua febri puero venter nihil red- 574.
dit, mutaturq; ei color, somnus accedit, ploratq; is assiduè, metuenda nervorum distensio est.

Febris quæ subitò sine ratione, sine bonis 575.
signis finita est, ferè revertitur.

Si mulieri ex inguine febricula orta est, neq; 576.
causa apparet, ulcus in vulva est.

Quibus longæ febres sunt, aut abscessus, aut 577.
articulorum dolores erunt.

 Si longæ

578. *Si longæ febres sine dolore, sine manifesta causa remanent, in aliquam partem tandem id malum incumbit, hocq; in iunioribus tantùm: in senioribus verò ex huiusmodi morbo quartana ferè nascitur.*

579. *Febrim ardentem subitus horror exolvit.*

580. *Stridor dentium in febri insaniam significat, si verò iam deliranti accedit, valdè pernicioſum.*

581. *In febri non intermittente, si labrum, aut nasus, aut oculus, aut supercilium pervertitur, si non videat, si non audiat, & iam debilis sit, quicquid horum fuerit, mors propè est.*

582. *Febris vehemens, ubi rubet corpus, plenæq; venæ tument, sanguinis detractionem requirit.*

583. *Magna ex parte febres à bile fiunt.*

584. *Febri continua laborans, si habeat venas latas, grossas & apparentes, & absq; malis accidentibus atq; syncope sustinet phlebotomiam, phlebotometur: nisi quid aliud prohibeat, scilicet, constipatio ventris, nausea, vel fastidium, dolor stomachi, raucedo vocis. Nam in tali casu omnia ista confirmantur, & deteriora fiunt.*

585. *Terminus febris peracutæ est quartus dies, quare convenit ei diæta magis subtiliativa, quia terminus eius brevissimus. Vndè in tali febri solus*

potus aquæ sufficit, & si aliter cibaretur, mortis periculum immineret.

586. *Medicina lenitiva, in principio febrium acutarum convenit, non eradicativa. Materia enim, quæ nondum est digesta, & in venis ebullit, magis accenderetur, & indè mors immineret.*

587. *Si febricitanti venter fluat, ne restringas, donec deficere videris ægrotum.*

588. *Dolor capitis in febri continua, per clysteres, suppositoria, assumptionem casiæ fistulæ, ligaturas crurum dolorificas, & pedum frictiones leves levatur.*

589. *Si lingua febricitantis nigra est, significat magnam aduſtionem materiæ, & sitit infirmus. Assumat igitur pruna in aqua præmollita, eaq; teneat in ore, & aquam illam bibat.*

590. *Inter sudandum, si anhelent febricitantes, significatur terminus sudoris illius, non etiam nimium cooperiantur, neq; multùm coacti sudent; sed semper permittantur in libertate, & post sudorem cum rosacea aspergantur, & detur offa panis in vino infusa ut recreentur.*

591. *Si febricitans acutè patitur nauseam, & nihil potest retinere, indicium est, infirmum stomachum phlegmaticum habere, viscosum, & lumbricos, qui materiam commovent.*

592. *Si urinæ febricitantis incipiunt dealbari, & quantitas urinæ non diminuitur, & infirmus*

habet in se omnia accidentia bona, benè dormit, anhelat, & egerit, indicium est, quod illa febris criticabitur per apostema sub aure, vel in aliquo alio loco.

593. Quando infirmi recidivant, oportet cognoscere, an hoc propter malam materiam, quæ remansit, aut propter malum cibum, quem infirmus recipit, aut propter aliud accidens contingat.

594. In cholericis febribus una vice sanguinis parùm evacuato. Si verò ex alijs humoribus febris existeret, contrarium agito.

595. Etiam atq; etiam considerandum, utrum dolor aliquis pectus ipsum febrientis obsideat, asthma infestet, vel tussis, ne cum acrioribus potionibus, utpote syrupis, hisce in casibus exhiberi consuetis, nocumentum ægroto inducas.

596. In febrium acutorum principio, atq; fine, fortioribus medicamentis purgantibus nequaquàm utere. Nam materiæ febriles, in venis contentæ, plus æquo commoverentur, ad quod mors sequi solet: sed medicinas benedictas lubricantes, & lenientes securè exhibere poteris.

597. Medicus in principijs febrium ægroti venam incidens, alvumq; enematibus subducens, si deinde in facie ægroti appareant signa doloris capitis, è vestigio fronti, vel naso sanguisugas, vel cucurbitulas apponere iubeat.

598. Febriens si à ventris profluvio corripiatur, Medicus ne sistat alvum, nisi evidens signum debilita-

debilitatis adfuerit ex eo. Cavendum quoq; ne lingua nigricans efficiatur, quare pruna ex aqua frigida exhibenda, mucillagines seminum citoniorum, psyllij, semina quatuor frigidorum, & similium.

Febricitantium non omninò leviter corpus 599.
sibi constare, nec minui, aut etiam plus æquo colliquefieri, malum. Hoc siquidem virium imbecillitatem, illud morbi diuturnitatem significat.

Quibus per febres sanguinis undecunq; eru- 600.
perit copia, convalescentibus ventres humectantur.

Febricitantibus si sexto die rigores fiant, 601.
iudicationem habent difficilem.

Quibus accessiones fiunt, quacunq; hora fe- 602.
bris dimiserit, eadem si postero die repetat, iudicatu difficilis esse solet.

Qui per febres lassitudinem sentiunt, ijs ad 603.
articulos, & iuxta maxillas potissimùm abscessus fiunt.

Si febre detento suffocatio derepentè super- 604.
venerit, nullo in faucibus apparente tumore, est mortiferum.

Si febri detento repentè collum intorquea- 605.
tur, ac vix deglutire queat, nullo existente tumore, mortiferum.

Sudores febricitantibus boni, qui manare 606.
cæperint die tertio, quinto, septimo, nono, undecimo, decimoquarto, decimo septimo, vicesimo primo,

primo, vicesimo septimo, tricesimo primo, & tricesimo quarto, ij enim sudores morbos iudicant. Qui secus evenerint, laborem, & morbi longitudinem, aut eiusdem reditum significant.

607. Frigidi sudores cum febri quidem acuta, mortem, cum mitiore verò, morbi longitudinem significant.

608. Febres, quæ tertio quoq; die vehementiùs affligentes, non intermittunt, periculosiores: quoquo modo autem intermiserint, periculum abesse significant.

609. Quos febres longæ exercent, ijs tubercula ad articulos, vel labores fiunt.

610. Si rigor, febre non intermittente, ægrum iam debilem invadat, mortiferum est.

611. Excreationes, in febribus non intermittentibus, lividæ, cruentæ, fœtidæ, biliosæ, omnes malæ: commodè tamen si prodeant, bonæ: sed eadem quoq; est eorum, quæ per alvum & urinas excernuntur, ratio. Si quid verò quod non iuvet per hæc loca excernatur, malum.

612. In febribus non intermittentibus, si partes externæ algent, internæ uruntur & sitiunt, lethale est.

613. In febri non intermittente, ubi difficultas spirandi & delirium acciderit, lethalè.

614. In febribus abscessus, qui primis iudicationibus non solvuntur, longitudinem morbi significant.

Quibus

Quibus in febribus, aut alijs morbis, volun- 615.
tariè illacrymant oculi, absurdum non est. Quibus verò præter voluntatem, absurdius.

Quibus per febres circa dentes lentor qui- 616.
dam obnascitur, ijs vehementiores sunt febres.

Febricanti sudor superveniens, febre ægro- 617.
tum non deficiente, malum. Prorogatur enim morbus, & plus humiditatis inesse significat.

Si febri ardenti laboranti rigor superve- 618.
niat, solutio fit.

Quibus per febres aures obsurduerint, ijs 619.
sanguis è naribus profluens, aut perturbata alvus, solvit morbum.

Febricitantem nisi diebus imparibus febris 620.
reliquerit, solet reverti.

Quibus in febribus certo die rigores repetunt, 621.
eodem febres solvuntur.

Quibus per febres morbus regius die septimo 622.
aut nono, aut undecimo, aut quartodecimo supervenerit, bonum, nisi dextrum hypochondrium durum sit: alioqui minimè bonum.

In febribus circa ventriculum vehemens æ- 623.
stus, & cordis morsus, malum.

In acutis febribus convulsiones, & circa vi- 624.
scera vehementes dolores, malum.

In febribus per somnum pavores, aut con- 625.
vulsiones, malum portendunt.

In febribus spiritus offendens, malo est, con- 626.
vulsionem enim significat.

Quibus

607. Quibus non ſine febri urinæ ſunt eraſſæ, grumoſæ & paucæ, ſi ab his tenues & copioſæ meiantur, proſunt. Maximè verò tales redduntur, in quibus ſtatim ab initio, vel non ita multò poſt ſedimentum apparuerit.

608. Quibus per febres urinæ turbatæ, quales iumentorum, ijs dolor capitis vel adeſt, vel aderit.

609. Si febris ſit non ex bile orta, multa aqua calida capiti ſuperfuſa, febrem ſolvit.

610. Si febres tertio quoq; die vehementiores fiunt, nec intermittunt, periculoſæ: Quoquo modo autem intermiſerint, periculo vacare ſignificentur.

611. Quibus longa tubercula, aut in articulis labores à febre fiunt, hi copioſiore cibo utuntur.

612. Si quis febricitanti cibum præbeat, quem ſano exhibet, valenti robur, ægrotanti morbus fit.

613. Rigores incipiunt mulieribus ex lumbis magis, & per dorſum perveniunt ad caput; ſed & viris parte corporis poſteriore, magis, quàm anteriore, veluti ex femoribus & cubitis. Indicio eſt cutis raritas, quam ipſam pilus oſtendit.

614. Æſtivæ quartanæ plærunq; breves, autumnales longæ, & inter eas maximè, quæ ad hyemem uſq; pertinent.

615. Qui quartana corripiuntur, non admodùm convul-

convulſionibus tentantur: ſi verò priùs tentati fuerint, ſuperveniente Quartana liberantur.

Quibuſcunq; in Quartanis febribus ſanguis è naribus effluxerit, malum. 636.

Quibus ſiccæ tuſſes paulùm irritantes in febribus ardentibus perſeverant, ij non admodùm ſiticuloſi eſſe ſolent. 637.

Quibus in febribus ardentibus tremores fiunt, delirio ſolvuntur. 638.

Tertiana exquiſita, ſeptenis ad ſummum circuitibus iudicatur. 639.

Somnus in principio paroxyſmorum deteſtatur: In declinatione verò paroxyſmi competit, confertq;. 640.

In acutis febribus deteſtatur multiloquium, membrorum in lecto diſiectio, & in ſumma omnis motus: ſic enim materia agitatur, calor intenditur, ſiccitas augetur, & hectica accerſitur. 641.

Ingreſſus multorum hominum in cubiculum, ubi æger decumbit, in acutis febribus deteſtatur, quia aër cubiculi ſic calefit, ob illorum expirationem. 642.

Aër in febribus acutis arte, aut per ſe ſit frigidus & humidus, ut ſic cordis calor per inſpirationem eventetur. Corpus verò pannis cooperiatur, ut ſic materiæ reſolutio per poros cutis, & venarum, promoveatur. 643.

In febribus habentes corpora repleta, inflata, cum colore plumbeo, illis inedia iniungenda 644.

est. Quia crudi succi in ijs exuperant. Sed illi, quorum oculi sunt concavi, & cutis sicca & tensa, paulatim sunt nutriendi & sæpè per diem. Huic intentioni inservit aqua caponis, & lactis amygdalorum usus.

645. Sitim tolerare in febribus est martyrium sine iuvamento, quoniam virtutem debilitat, febres inflammat, vigilias cum angustia multiplicat, concoctionem ℥ retardat.

646. Somnus nocturnus in febribus intermittentibus competit, quia semicoctum concoquit, & utile reddit: Sed in paroxysmo detestatur.

647. Vinum in febribus tùm admittitur, ubi signa concoctæ materiæ in urina manifestè apparent, & cùm febris est in declinatione, & sit vinum album tenue, non vetus, & non novum, & aqua frigida mixtum. Sic enim omnes vacuationes promovet, & per urinam, & per sudorem.

648. In febri intermittente, in die afflictionis neq; digere, neq; move. At in continuis, exhibe pharmaca tempore temporis, hoc est, tempore matutino, quia tempore frigidiore virtus est fortior.

649. Quidam libentiùs in febribus utuntur decoctis, quàm syrupis, eò quod syrupi sitim augeant, aut facilè inflammentur, & in choleram convertantur.

650. In febribus digestiva in aurora offerantur: si verò paroxysmus manè invadit, digestiva vesperi offerantur.

In fe-

In febribus putridis, quicquid concoqui potest, concoquatur, & quod iam exustum est, nec ampliùs concoqui potest, evacuetur. 651.

In febribus potiones pauco saccharo dulcorentur, quia dulcia augent calorem, & in choleram convertuntur, præterea ex dulcibus iecur, ac lien intumescunt. 652.

In febrium principijs, quando urina est crassa, pauca, habens hypostasin crassam, vel in globos, seu grumos confusam, tùm utere attenuantibus, ut materias illas crassiores attenues, & id arte efficies, quod natura longiori tempore, nisi ab arte adiuta esset, effecisset. 653.

In febribus phlegmaticis cautè agas ante materiæ minorationem, cum fortibus aperitivis & diureticis, præsertim, ubi ægro debile est caput, ne fortè pituita, febrili calore & medicinis attenuata, sursum ad caput rapiatur, & faciat lethargum. Quarè confortetur caput à principio temperatè stypticis calefacientibus, & utere diversionibus, fricatione, & fomento pedum, sic clysteribus & suppositorijs in alvum iniectis. 654.

In febribus putridis, debili existente virtute, vena non est secanda: Intellige, ubi ista debilitas fiat, propter humorum penuriam, & spirituum resolutionem, & non ob oppressionem virtutis ab humorum copia. Hic enim vena secanda est, quia in tali debilitate virtutis non restituitur, nisi humorum copia diminuatur. 655.

656. *In intermittentibus febribus, si statim à principio venam aperis, tùm ex intermittente efficies continuam febrim, retractis putrescentibus humoribus intra venas inanitas, aut sanguine oblitas, diuturniorem efficies morbum.*

657. *Nullum maius aut præstantius remedium in febribus ardentibus est, quàm venæsectio usq; ad animi deliquium.*

658. *Non phlebotomabis, nec purgabis eos, qui hectica febri laborant.*

659. *In febribus putridis venæsectio competit, quando sanguis sua quantitate immodicè exuperat, & prædominatur, ut in synocho: Vel quando humor sanguini est mixtus, vel non multùm à natura sanguinis distet, absitq; hìc urina rubet crassaq; est substantiæ.*

660. *Quando in synocho ex sanguinis tantùm copia oborto, non statim in principio vena secatur, tùm sanguis propter moram fit malignior, & in choleram convertitur.*

661. *In acutis febribus pillularum usus detestatur, sicut & alia medicamenta multùm siccantia.*

662. *Thamarindi in febribus acutis probantur, stomachum enim sua adstrictione confortant, & appetitum provocant, vomitum cohibent, sed quia siccæ sunt temperaturæ, ideo ipsis pruna & violæ associantur.*

663. *In acutis febribus tantùm benedictis medicamentis utere, & non fortibus, ne calor intendatur, &*

tur, & humorum ebullitio ac putrefactio augeatur, & hectica accersatur, ideò hìc infusiones commendantur: humectant enim corpus.

Clysteris usus summè commendatur in ardentibus febribus, ad alvum emolliendam, humectandam, & vapores excludendos. 664.

Myrobalani in febribus admittuntur, ubi fluxus ventris complicatur, & in fine febrium, tùm enim membra confortant. 665.

Rhabarbarum calorificum est, ideò in aqua Endiviæ maceratur in febribus acutis. 666.

In febribus acutis & causo detestantur fortia solutiva, ne à materia acuta, ad intestina retracta, & aversa, fluxus ventris succedat. 667.

In principio accessionum competit levis vomitus, in fine verò accessionum somnus, ac sudor. 668.

Vomitus, in omni febri chronica, summè commendatur ab omnibus Meditis. 669.

In febri continua phlebotomia præcedat catharticum. In febri verò intermittente catharticum, præcedat phlebotomiam, ne indè fiat febris continua. 670.

In febribus utiliter clysteribus purgare, humectare, lenire & refrigerare poteris. 671.

Vomitus à cibo, diutiùs perseverante febre, adeò excellit, ut multos noverim hoc uno præsidio exactè sanatos, inquit Aëtius. 672.

In febribus acutis, quando testiculis epithemata 673.

mata refrigerantia adhibentur, dici non potest, quàm subitò totum corpus indè refrigeretur. Habent enim testiculi cum corde, & alijs membris, colligantiam.

674. Quando febres producuntur ad duos menses, tùm offerantur Trochisci de eupatorio, de Rhabarbaro, de absynthio, dialacca, &c. & quoq; Diacurcuma, ne oboriatur cachexia, aut hydrops, ob epatis, concoctricis debilitatem.

675. In febribus acutis, & peracutis, multùm refert cordi epithemata adhibere refrigerantia, & humectantia, ut sic calor febrilis extinguatur, & musculorum pectoris exiccatio inhibeatur. Exiccatis enim musculis pectoris motus impeditur, & cordis inflammatio maior fit, propter difficilem inspirationem & expirationem.

676. In febribus acutis, ubi calor est intensissimus, cogimur adhibere non tàm intrinsecùs, quàm extrinsecùs refrigerantia, & humectantia, ut calor nonnihil mitigetur, ne virtus prosternatur, cùm tamen, regulariter operando à causæ ablatione, curatio auspicanda foret.

677. Quando in declinatione paroxysmi sudor emergit, tùm omnia localia refrigerantia auferantur.

678. In principio febrium caput oxyrrhodino inungatur, ne phrenitis, delirium, aut soda accidat. Si verò crassi vapores iam in capite fuerint collecti, quod ex capitis gravitate, somnolentia, &

narium

narium humiditate constat, sic si catarrhus adest, tum eius usus detestatur. Si tamen metus est, ne accidat phrenitis, his audacter utere. Maius enim nocumentum est id, quod ex phrenitide impendet, quàm id, quod ex catarrho nobis imminet. Collectis enim iam in capite crassis vaporibus, potiùs discutientia capiti admovenda sunt.

Aquæ frigidæ potus in synocho ac cholericis febribus optimè confert, post signa coctionis. Sed pura aqua ob suam crassitiem longo tempore moratur in stomacho, ideò facit rugitum, prætereà in magna copia est offerenda. Si enim parùm bibitur, tum à calore febrili vincitur, & in vapores acutos convertitur, undè febris intenditur, augeturq;. Si verò in magna quantitate assumitur, tùm cholera vincitur, refrigeratur, & inspissatur. 679.

Syncope in febribus ubi assiduè affligit, propinamus vinum, etiamsi indè febris augeatur. 680.

Absynthij usus in febribus conceditur, ubi signa coctionis in urinis apparent. 681.

Quia membra ob febrilem calorem facta sunt laxiora, rarioraq;, & quia membra etiam facta sunt debilia, ob immodicam spirituum inanitionem, resolutionemq; : ideò confortentur medicamentis refrigerantibus, de quadam vi astrictoria participantibus, ut sic membrorum substantia cogatur, densetur, & spiritus uniantur, quò minùs & spiritus, & calor nativus, exhalent, 682.

 transpi-

transpirentq;. Horum usus in principio, antequàm materia evacuata sit, detestatur, sic enim recrementa in loco affecto, seu in corpore detinentur, compinguntur q;, ut minùs evaporare, transpirare, exhalareq; possint.

683. Si quis, in convalescentia cuiuscunq; febris, habuerit signa indigestionis: quæ sunt, os insipidum, fumosum, vel acetosum, & propriè cum prostratione appetitus, vel corruptione eius, sicut est appetitus carbonum, vel argillæ, significat recidivam, propter stomachum non benè mundatum à noxijs humoribus: Redi igitur ad evacuationes, & digestiones, illi materiæ convenientes.

684. Quando epati, in acutis febribus, vehementer refrigerantia administrare intendis, tùm semper aliquod calorificum epati appropriatum admisceto, ut aquam absinthij, vel pulverem absinthij.

685. In febribus acutis, ubi timor est, ne succedat hectica, tùm pannus lineus, in aqua violarum, aut lactucæ infusus, toti dorso tepidè applicetur, vel inungatur spina dorsi oleo violarum, aut lactucæ. Quod si refrigerare volueris vehementiùs, utiliter olea ista cum aqua violarum aut nenupharis lavare poteris.

686. In acutis febribus refert ægrum in manibus tenere frustum crystalli, sæpiùs in aqua frigida rosacea infusum. Similiter etiam in ore tenere crystallum aqua sæpiùs aspersum.

In acutis

687. In acutis febribus sæpiùs accidit phrenitis, aut dolor capitis, propter elevationem vaporum ad caput. Ideò refert capiti administrare oxyrrhodinon, & collo epithemata frigida, facta ex aqua rosacea, plantaginis, violarum, lactucæ, santalis albis, & rubeis, spodio, corallijs albis, rosis rubris, &c.

688. In febribus acutis secundum longitudinem spinam dorsi refrigerantibus, & humectantibus inungere, summum est remedium, eò quòd vena cava & arteria magna, ibi sitæ sunt.

689. In febribus acutis, quando linguæ adest asperitas, siccitas, & nigredo, tùm plurimùm refert inungere collum ac guttur oleo violaceo, & in ore ea, quæ os humectant, gestare, & sub cervice non habere pulvinar ex plumis, sed potiùs ex corio.

690. Circa balneum eorum, qui habent febres putridas, tria sunt observanda: Primum, ut non accidat rigor, seu horror, in balnei introitu: secundum, ut nullum membrum principale debile sit: tertium, ut non existat crudorum humorum circa primas venas quantitas multa.

691. Febrem quotidianam impossibile est esse absq; stomachi læsione, sicut impossibile est esse quartanam absq; ægritudine splenis.

692. Saccharum rosaceum recens, optimè confert in febribus acutis, quia est lenitivum & confortativum, sicut & iulep rosarum.

 In fe-

693. In *febribus acutis, res saluberrima est, refrigerare epar, epithematibus, & fomentis.*

694. *Hectica, quando procedit ex liquefactione, in qua apparet unctuositas in egestione, tùm offer in potu gelidam aquam velociter, & cibaria refrigerantia, humectantiaq́, & aër hìc frigidissimus inspiretur.*

695. *In hectica febre semper cordi occurrendum est, non tàm intrinsecis, quàm extrinsecis.*

696. *Plurimùm refert in febribus, epithemata refrigerantia pectori, seu cordi imponere. Nec obstat, quòd quidam dicunt, fuligenes, & vapores in pectore detineri, undè calor intendatur. Hoc enim in pectore non est timendum. Quia in pectore non est necessarium, ut acuti fumi, & vapores per poros cutis transpirent, cùm vapores continuò per asperam arteriam transpirent.*

VII.

De Febribus pestilentibus, seu de Peste absolutè.

697. *Smaragdus, in febribus pestilentibus, si non potest vincere morbum, frangitur.*

698. *Pestiferis morbis inchoantibus, virtute consentiente, digestio peccantis materiæ non est expectanda: sed, eradicativa evacuatione, celeriter vacuanda.*

Pestilens

Pestilens aëris constitutio, febrem lethalem 699.
adfert, ob id, in aëre infecto aliqualiter versari, aut illis, qui iam infecti sunt, vicinari, periculosum est.

Apostema pestiferum, si febrem præcesserit 700.
pestilentialem, in sui principio, dùm virtus adhuc fortis est, exigit phlebotomiam, de proximiori vena, ad syncopem usq́, ut de materia venenosa, quantum possibile est, (vita salva) educatur, & febris adventus prohibeatur. Si verò hoc apostema ad talem febrem sequatur, aut cum ea simul incipiat, phlebotomia tunc mediocris sufficit, quæ citò facienda est, alioqui plùs nocet, quàm proficit.

Nausea, in pestilentia, malum præsagium 701.
est.

Potiones, in pestilentibus febribus, non actu 702.
calidæ offerantur. Sic enim febrilis calor intenditur, appetitus prosternitur, corpus rarefit, spiritus exhalare facit, & virtutem sic debilitat.

In febribus pestilentialibus stultè faciunt 703.
Medici, qui, antequàm materia putrida phlebotomia, aut cathartico, aut sudorem provocantibus, sit imminuta, non tàm intrinsecùs, quàm extrinsecùs frigida styptica administrant, sic enim materia putrida venenosa in corpore detinetur, & non eventatur. Vndè febris intenditur, & malæ qualitatis venenosæ in corde sic fit impressio.

In pesti-

704. *In peſtilentiali febre ſtatim à principio, conſtante adhuc virtute, vena ſecetur, poſtea evacuetur materia cathartico ſtyptico, & fiant confectiones, & Electuaria ex his, quæ veneno adverſantur.*

705. *In febribus peſtilentialibus venæſectione adhibita, cor extrinſecus epithematibus refrigerantibus eſt confortandum, ne à venenoſis vaporibus lædatur.*

706. *Camphora humores præſervat à putrefactione, ideò competenter offertur contra morbos epidemiales.*

707. *In peſte orto carbunculo, anthrace, bubone, aut alia venenoſa puſtula, nullo modo repellentia medicamenta adminiſtrentur, ne materia venenoſa repellatur ad principælia membra, ſed potiùs attractiva imponantur, ut ſic materia venenoſa evocetur, & à membro nobili ad ignobile avertatur.*

708. *Tempore peſtis, vel in peſtilentiali febri, ubi dolor emergit ſecundùm aures, aut ſub axillis, aut circa inguina, tùm apponantur emplaſtra calida attractiva, ſic etiam affigantur cucurbitulæ abſq; ſcarificatione.*

709. *In medicamentis præſervativis, tempore peſtis exhibendis virginibus, ac mulieribus, omittantur bolus armena, terra ſigillata, camphora, &c. hæc enim menſes remorantur, quibus retentis, facilimè febri peſtilentiali corripiuntur: ſed eis exhibeantur medicamenta, quæ ſint concinnata ex rebus eiuſmodi, quæ ſimul & veneno adverſentur, & menſes evocent.*

710. *Ex bubone febres omnes malæ, præter ephemeras.*

711. *Defenſiva & repellentia medicamenta nequaquàm in circuitu Bubonis in peſte adminiſtrentur, donec materia tota ſit fluxa, & collecta.*

712. *Quando apoſtema in febre peſtilenti obortum, eſt valdè nigrum, nequaquàm vehementia adhibeas ruptoria & cauſtica, ne materia accendatur, & fiat acrior, maligniorq;. Et cùm ulcus conſolidare volueris, tùm ſemper & ſæpè medicamenta purgantia, & pulveres venenum expellentes, & cor confortantia, offeras, ne cor de novo inficiatur.*

713. *In peſte, variolis, ac morbillis, & morbo gallico, in principio nequaquàm frigida & ſtyptica ſunt neq; intrinſecùs, neq; extrinſecùs exhibenda, ne ebullitio, quæ accidit, ut videre eſt in muſto, ubi natura fortis eſt, & humori exuperanti dominatur, & ipſum expellere vult, extinguatur, & ſanguis impurus reddatur, detentis in corpore ſuperfluitatibus, undè plerunq; mors, ſed materia expulſa, & puſtulis exortis, tùm audacter frigida dentur, ne ex ebullione perfectiva, fiat ebullitio corruptiva. In principio enim ebullitio perfectiva eſt promovenda Diaphoreticis, & non frigidis impediendа.*

pedienda. Quando itaq; obortis variolis, pustulis, vel apostemate pestilenti, vides symptomata peiora fieri, scilicet, fieri maiorem febrem, sitim, angustiam, linguæ nigredinem, hæc enim signa sunt certa corruptivæ ebullitionis. Quare refrigerantia audacter offeras, ne æger pereat.

714. Ebullitio duplex est, una depurativa, seu mundificativa sanguinis, altera corruptiva sanguinis. Hæc autem fit, ubi ebullitio est superflua, & excedit modum.

715. Omnis rei putredo à calore fit non nativo: sed extraneo. Proprius enim conservat, alienum verò corrumpit.

VIII.
De Venenis.

716. Medicinæ venenum attrahentes, sua caliditate, vel totius substantiæ suæ similitudine, id præstare dicuntur.

717. Venenosorum animalium morsibus impositæ cucurbitulæ, venenum extrahunt. Eædem impositæ emunctorijs, materiam pestiferam à membris principalibus attrahunt.

718. Mortiferam potionem bibentibus, viridis eorum cutis, aut nigra efficitur, statimq; putrescit.

719. Quando aliquis est morsus à rabioso cane, aut ubi ictus est à venenoso animali, tùm confestim

festim optima theriaca, ad quantitatem castaneæ, in vino odorifero exhibeatur, & locus ictus suprà & infrà corrigia cervina theriaca illita, fortiter deligetur, & scarificetur profundis vulnusculis, & affigatur cucurbitula, vel admoveatur culus gallinæ deplumatus rostro clauso. Vtilissimum etiam est, locum ictum cauterisare cum candenti ferro, aut cum oleo sambucino ferventi. Quotidiè aliquid, quod cor confortet, & bezoarticum sit, offeratur, & extrinsecùs etiam cordi epithemata adhibeantur.

720. In principio, quando aliquis à rabioso cane vulneratus, aut venenato serpente ictus est, æger arceatur à somno, sic etiam non fiat phlebotomia, nec administretur clyster, nec vomitus provocetur, neq; pharmacum deiectorium exhibeatur, nec sudor provocetur. Post spacium autem trium dierum, purgetur atra bilis cum decocto epithymi in sero caprino, & utatur diæta humectante ac Melancholicorum. Quando verò locus incipit denigrari, signum est, quòd punctura seu morsus sit venenosus, ideò si fieri potest membrum resecetur, si verò id fieri non potest, tùm sine mora cauterisetur, & hic, ut in sphacelo, procedas.

IX.
De Dolore.

Quoniam

721. Quoniam dolor acuit rheuma, & attrahit humores à sedibus affectis, antequàm pravos succos educas, dolorem priùs compesces.

722. Quamvis aliquam noxam sciveris ex narcoticis medicamentis membris patientibus affuturam, nihilominùs ad id, quod magis urget, accedas, & hominem ex nimio dolore animo deficientem, parva cum noxa liberes. Sequentibus namq; diebus, si magnam noxam membris illatam videris, hanc emendare tùm licebit.

723. Infantum dolores tribus modis levantur: nutricis papilla ori eorum appositа, motu mediocri, & vocis modulamine.

724. Si virtus à dolore dissolvatur, & periculum immineat, propter hoc quidem oportet mitigare dolorem, roborareq; naturam, ut repugnare possit, & ad tempus sufficere medelæ.

725. Dolor per essentiam ægrum affligens, ipsum tàm diu molestat, quàm diu completam receperit curationem, Is autem, qui propter alterius affecti membri consensum acciderit, sedis affectæ soluto vitio, facilè solvitur.

726. Medicinæ dolorem verè sedantes, subtilis sunt substantiæ, & in primo calidæ, quæ rarefaciendo, maturando, & subtiliando, à membris coarctum evacuant humorem, atq; ipsum resolvunt.

727. Ex duobus simul doloribus non eundem locum occupantibus, qui vehementior est, alterius sensum obscurat.

Dolor

Dolor duo ostendit, aut continui solutionem, aut subitam alterationem, & malam complexionem. 728.

Dolor, ubi sævit, semper inprimis mitigetur, aliàs enim seipsum auget attrahendo, & ad se humores avertendo. 729.

Dolor nonnunquàm est causa syncopes, avertendo scilicet immodicè à corde sanguinem, & spiritus, unde cordis refrigeratio, & vitæ extinctio. 730.

Nonnunquàm accidit dolor frangitivus & acutus, perinde ac si ossa frangerentur, cùm scilicet humor vel ventositas existit inter os, & panniculum os ambientem, ipsum separans. 731.

Dolor fortis ubi membrum aliquod affligit, tùm inprimis dolor mitigetur, ne plus materiæ attrahatur, & crudi succi in corpore coacerventur, averso spiritu & sanguine à stomacho, undè cruditas seu vomitus. 732.

Dolorem quemlibet mitigamus, aut temperaturam malam alterando, aut materiam resolvendo, scilicet anodynis, aut sensum stupefaciendo, videlicet narcoticis. 733.

Anodyna & dolorem mitigantia, actu calida, & non frigida administranda sunt. 734.

In dolore spatulæ, non debemus adhibere fortia repellentia, ne materia repellatur ad pulmones & cor, & subita indè succedat mors. 735.

X.

De Doloribus arthriticis.

736. *In sui principio sciatica mitigantibus pharmacis, non multùm infrigidantibus, aut calefacientibus eget. Chiragra autem & Podagra repercussivis. Omnium autem curatio præcipua est, causantium humorum evacuatio.*

737. *Vomitu sciaticos magis, quàm alvi fluore, ab initio evacuando, iuvabis.*

738. *Enemata fortia cum colocynthide facta, aut cucurbitula loco dolenti admota, auxilium sciaticis maximum adferunt.*

739. *Quibus articulorum dolor certis temporibus revertitur, hos antè & curioso victu, & crebro vomitu, ne inutilis materia in corpore supersit, cavere oportet.*

740. *Articulorum vitia, ut podagræ, chiragræq; si iuvenes tentârint, neq; callum induxerint, solvi possunt.*

741. *Articuli si sic dolent, ut super eos tuberculâ quædam innata sint, nunquàm liberantur.*

742. *Vinum ieiunis potum, articulis nocet.*

743. *Podagræ veteres, quæ vario humore proveniunt, sanari non possunt.*

744. *Articularius morbus membra resolvit, quæ, si non moventur, & macrescunt, in pristinum habitum*

habitum non revertuntur, magisq;, si vetus malum est, vel senectuti acciderit.

745. *Nux Indica, & salvia parùm cocta, & crebrò sumpta in fine refectionis, iuncturis & nervis, præ cæteris terra nascentibus multipliciter sunt amica.*

746. *Qui sæpiùs calcat uvas, ac musto recenti balneat pedes suos, rarissimè Podagra laborat.*

747. *Articulorum tumores & dolores absq; ulcere, atq; etiam podagricos & convulsiones magna ex parte frigida largè effusa, levat, & extenuat, solvitq; dolorem. Nam modicus torpor doloris solvendi vim habet.*

748. *Eunuchi podagra non laborant, nec calvi fiunt.*

749. *Qui podagrici morbi fiunt, sedata inflammatione intra dies quadraginta conquiescunt.*

750. *Dolores podagrici Vere & autumno ferè moventur.*

751. *Quibus longo coxendicum dolore conflictatis, femoris summum coxa excidit, rursumq; recidit, ijs mucosa ibidem pituita colligitur.*

752. *Quibus diuturno dolore Ischiadico vexatis femoris, caput coxa excidit, ijs femur contabescit, & claudicant, nisi urantur.*

753. *In arthritide pillularum usus magis probatur, quàm solutivorum decoctum. Quia pillulæ diutiùs in ventre morantur, & à remotioribus evacuant.*

754. In podagra & chiragra, quando dextra manus moleſtatur, tùm revellendi gratia in principio ſecetur vena dextri pedis. Tamen, ſi pedes à natura eſſent debiles, tùm potiùs epatica ſiniſtræ manus tundatur, ne fluxio ad pedes avertatur.

755. In iuncturarum dolore, ut in podagra, ubi urina eſt inculpata & naturalis, tùm certum eſt, materiam antecedentem, quæ eſt in venis, eſſe digeſtam & coctam. Ideò hìc nulla digeſtiva ampliùs intra corpus ſunt offerenda, ſed materia coniuncta, quæ extra venas in iuncturis exiſtit, emplaſtris & cataplaſmatibus diſcutientibus eſt digerenda & evacuanda.

756. Quando dolor iuncturarum ſeu podagra in febri acuta ratione criſis fit, tùm materia non eſt ad ſuperiora revellenda, & avertenda ad membra ſcilicet principalia, nec repellenda cum fortibus repellentibus.

757. Quando in ſciatica accedit iuncturæ dislocatio, ob humorem mucilaginoſum, ibi contentum, qui ligamenta immodicè humectat, undè prolongantur, & iunctura dislocatur, hìc confert uſus cauteriorum plurimùm, ſic veſicatoria & rubificantia.

758. In ſciatica immodicè mollificantibus nequaquàm utaris, quia indè, nervis mollificatis relaxatiq́, coxa excidit prolabiturq́. Sic non utendum eſt fortibus ac nudis reſolutivis, ne partibus

tibus ſubtilioribus reſolutis, materia incraſſetur, petrificeturq́, & quaſi aſſetur. Conſtent itaq; medicamenta ex mollificativis, reſolutivisq; ſimul mixtis.

759. In regimine præſervativo à Podagra non tutùm eſt offerre digeſtiva, & ſolutiva fortia, quia hìc non opus eſt materiam à pedibus evacuare, quandoquidem nullus adſit dolor, & materia lædens in pedibus non exiſtat. Nam ſi materia in pedibus iam exiſteret, iam non eſſet intentio ad præſervandum, ſed ad curandum. Sic enim boni ſucci, membris utiles, exhauriuntur, undè pedes debiliores redduntur, & ad recipiendum aptiores. Ideò turpiter errant, qui in præſervando pillulas de hermodactylis exhibent. Hìc etiam refert ante horum uſum crura debilia ſlypticis confortare, ne materiam à cathartico motam recipiant, admittantq́.

760. Ex immodico diſcutientium medicamentorum uſu in arthritide, accidit membrorum incurvatio ſeu in motu & progreſſu difficultas, ob nervor[illegible], lacertorum, & chordarum nimiam exiccationem; undè membrum ob horum duritiem difficulter flecti & extendi poteſt.

761. Quando in arthritide accidit colica, tùm tollitur articulorum dolor, quia humor cauſans arthritidem ad inteſtina ſublatus eſt.

XI.

De morbis internis, ac primò supremi ventris sive capitis.

762. *Sanguineo, biliosoq; dolori capitis, cucurbitulæ occipiti cum scarificatione appositæ, conferunt.*

763. *Cucurbitulæ scarificatæ inter scapulas, & ad cubitos, ad manusq; exteriores, & sub mento admotæ, pustulis, ruboriq; faciei, maximum adferunt remedium.*

764. *Habentes calidum epar facilè patiuntur dolores capitis.*

765. *Dolores capitis, quibus oculorum caligo & rubor cum quadam frontis prurigine accedunt, sanguinis profusione vel fortuita, vel etiam petita, summoventur.*

766. *Si caput in febri continenti dolet, nec quicquam reddit, malum atq; mortiferum est, maximeq; id periculosum in pueris, à septimo usq; ad decimum quartum annum.*

767. *Si sine causa longus dolor capitis est, & in cervicem, & scapulas transit, rursusq; in caput revertitur, pernicioſus est, nisi vomicam aliquam excitavit, sic ut pus extussiretur, aut nisi sanguis ex aliqua parte prorupit, aut nisi in capite multa prurigo, totovè corpore pustulæ ortæ sunt.*

768. *E parte capitis posteriore laboranti, in frontem rectà excurrens, vena incisa prodest.*

Capite

769. *Capite dolenti & vehementer laboranti, pus, vel aqua, vel sanguis per nares, aut os, aut aures effluens, morbum solvit.*

770. *Qui valentes, capitis repentè doloribus corripiuntur, & protinùs muti fiunt, & stertunt, intra septem dies intereunt, nisi febris intervenerit.*

771. *In capitis affectibus ad intemperiem eius alterandam, non tantùm utimur inunctionibus, fomentis, epithematibus, & emplastris, sed & talia per nares & aures injcimus, & odoramentis utimur.*

772. *Sacculi, qui ad confortandum caput administrantur, in anteriori parte capitis debent applicari, quia in commissura coronali, cranium tenuissimum & rarissimum est, sic tamen ut prius sint calefacti vapore resoluto ab aqua vitæ calente, lateri inspersa.*

773. *In capitis affectibus nequaquàm sternutatio est provocanda, antequàm corpus probè sit evacuatum, ne superfluitates omninò ad caput avertantur.*

774. *In dolore capitis, in morbis acutis cautè agendum est cum localibus, circa caput adhibitis, in diebus criticis, ne crisis per profluvium sanguinis intercipiatur, impediaturq;.*

775. *Quibus divisum est cerebrum, bis febrem & biliosum vomitum supervenire est necesse.*

776. *Quibus cerebrum syderatū est, intra dies tres intereunt: si verò hos superaverint, sani fiunt.*

777. *Quibus occasione aliqua cerebrum fuerit vehementer concussum, mutos protinùs fieri est necesse.*

778. *In intemperie capitis calida, nequaquàm intensè refrigerantia adhibeantur, ne modicus calor extinguatur, ut in senibus, mulieribus, eunuchis, pueris, albis, hoc est, phlegmaticis, sic in capitibus catarrho obnoxijs. Hìc remissè refrigerantibus utere.*

779. *Ventrem mollire, capitis doloribus utile est.*

780. *In omnibus cephalæis quotidiana fecum expulsio iuvat ægros.*

781. *In omnibus capitis passionibus fricatio pedum, & tibiarum, præstans remedium.*

782. *In cephalalgia optimè conferunt myrobalani, si non adest febris. Si verò febris adest, non conferunt, quia hoc indicat, materiam peccare in ambitu totius. Si verò non adest febris, competunt myrobalani, quia vi sua adstrictoria comprimunt vapores deorsum, ideò in vertigine optimè conferunt.*

783. *Quando caput intemperie laborat calida, & stomachus frigida, undè ex capite ad stomachum catarrhus defluat calidus, aut quando stomachus laborat intemperie calida, caput verò frigida, & à capite frigidus catarrhus ad stomachum procumbat: In isto casu vitanda sunt omnia vaporabilia & fumosa, & in fine mensæ assumantur ea, quæ arceant ascensum vaporum ad caput, sicut*

sunt citonium, coriandrum, mastix, &c. Potiones verò nonnunquàm respiciant caput seu catarrhum, nonnunquàm verò stomachum, nonnunquàm utrumq; simul. Quæ verò horum intemperiem emendent, illa potiùs extrinsecùs adhibenda sunt. Si verò necessitas requirit intrinsecùs offerre ea, quæ membro inprimis affecto & læso conferant, tùm interim extrinsecùs membro minùs affecto ea administrentur, quæ ipsum confortent, ne ab assumptis per interiora lædatur offendaturq;.

In dolore capitis vinum summoperè cavendum. 784.

Capillorum defluvium, quod ætate contingit, nunquàm restituitur. 785.

Intensus capitis dolor insinuat, materiam existere in membranis cerebrum ambientibus. 786.

Cogitatio vehemens & imaginatio, in principio morborum capitis, improbantur. Quia humores & spiritus sic ad caput attrahuntur. 787.

Multa lux, & tumultus, & quicquid evigilare facit, lethargicis multùm confert. 788.

In lethargo in principio, sic & in alijs capitis affectibus, in initio sternutamenti usus improbatur, ne scilicet materia concitata in cerebro ad ventriculos cerebri defluat, & efficiat epilepsiam seu abscessum, vel procumbat ad pectus, & suffocet ægrum. Ideò à principio levibus utere sternutamentis, sed facta digestione, & ventris evacuatione, tùm refert fortioribus uti sternutamentis. 789.

790. *In frigidis capitis affectibus, ut in lethargo, &c. nequaquàm cucurbitulæ cum scarificatione circa nuchàm affigantur, ne refrigeretur cerebrum, & augeatur causa antecedens, sic nequaquàm à venis vicinis extrahatur sanguis, sed potiùs à remotis.*

791. *In lethargo, in principio repellentia & oxyrhodina administranda sunt, in anteriori capitis parte, & non in occipite. Frigida enim nervis sunt inimica. Resolutiva verò tutiùs adhibentur in occipitio, quia calida nervos non lædunt, præterea per futuram lambdoidem virtus medicamenti potest penetrare.*

792. *Lethargum febris subsequitur lenta, subeth verò seu carum præcedit vehementior.*

793. *Excedens cibi & potus quantitas, ciborumq; fumosorum comestio, memoriam multùm lædit.*

794. *Fructuum stypticorum, & coriandri præparati, post comestionem, temperata assumptio, prohibendo fumos ad caput elevari, memoriam iuvat valdè.*

795. *Solicitudo visorum, vel auditorum, frequens recordatio, memoriam confirmat, & roborat.*

796. *Apoplexia subitò accedens frigidæ, crassæ, ac viscosæ materiæ, cerebri ventriculos occupantis indicium est.*

797. *Cucurbitulæ supra collum positæ, apoplecticos interdum ad vitam revocant, & exuscitant.*

Apoplexiæ

Apoplexiæ fiunt maximè à quadragesimo anno usq; ad sexagesimum. 798.

Vertiginosis senibus apoplexia facilè imminet. 799.

Gravissima cephalæa, & maximè in repletis, futuram prædicit apoplexiam. 800.

Apoplexiam fortem nullo prorsus modo: debilem ægrè curaverìs. 801.

Apoplexia ubi accidit ob sanguinis redundantiam, venas replentem & obstruentem, quod constat ex faciei rubedine, seu fuscedine, diæta euchyma præcesserit, & sanguinis missio diu posthabita, hìc multum sanguinis auferatur. 802.

In apoplexia, ubi ægro non potest immitti clyster, tum inserenda sunt ano fortia suppositoria, & intra corpus pillularum de euphorbio, vel cochiarum scrupuli quatuor cum aqua lavendulæ offerendi. Debent autem pillulæ istæ priùs pulverisari: Non enim possunt deglutire pillulas, qui apoplexia correpti sunt. 803.

In omni apoplexiæ specie, sic in syncope, cùm venis ad ægrum, tùm eius os aperias, imponendo ligni frustum. 804.

In apoplexiæ paroxysmo, primò in alvum injicias acutum clysterem, aut suppositorium acutum ano inseras, postea errhina & sternutatoria administres. 805.

In apoplexia spiratio est cum stertore, aut intermittens, aut difficilis, in subeth verò illæsa & inculpata. 806.

In apo-

807. *In apoplexia facies ægri similis est homini vivo: In syncope verò homini mortuo.*

808. *Quicunq; iuvenes morbo comitiali laborant, mutatione maximè ætatis, & temporum & locorum, & victuum quoq;, liberantur.*

809. *Morbus comitialis post annum vicesimum quintum ortus, ægrè curatur, multoq; ægriùs is, qui post quadragesimum annum cœpit.*

810. *In morbo comitiali, si simul totum corpus afficitur, neq; antè in partibus aliquis venientis mali sensus est: sed homo ex improviso concidit, cuiuscunq; is ætatis est, vix sanatur.*

811. *Si in comitiali morbo mens læsa est, aut nervorum facta resolutio, spes non est.*

812. *Bilis atra, quæ ex succorum adustione nascitur, sit nociva valdè: Nam dum illa accenditur atq; ardet, concitatos furentesq; ipsa solet facere.*

813. *Insania timenda est, ubi expeditior alicuius, quàm sani fuit, sermo est, subitòq; loquacitas orta est, & hæc ipsa solito audacior, aut ubi rarò quis & vehementer spirat.*

814. *Insanis si varices, vel hæmorrhoides supervenerint, insaniæ solutio.*

815. *Ab insania, quam Maniam græci vocant, difficultas intestinorum, aut hydrops, aut ecstasis, bonum.*

816. *Deliratio, quæ cum risu fit, tutior: quæ verò studio adhibito, periculosior.*

In deli-

In delirantibus nihil melius, quàm detondere capillitium, somnum provocare, & silentium imperare. 817.

Frequens oculorum motus nullo dolore substante, somnus ereptus, continuaq; nocte, & die vigilia, insolitus dentium stridor, insaniæ signa sunt. 818.

Suffusæ mulieris mammæ sanguine, furorem futurum esse testantur. 819.

Auris dolor acutus cum febri continua, vehementiq;, sæpè mentem turbat, & ex eo casu iuniores interdum die septimo moriuntur: seniores tardiùs, quoniam neq; æquè magnus febres experiuntur, neq; æquè insaniunt. 820.

Phrenetico, si ambo genua rosea facta fuerint, solida cum inflammatione, ipsa die moritur. 821.

Qui supra quadraginta annos phrenetici sunt, non omninò sanantur, minùs enim periclitantur, quorum naturæ & ætati morbus sit conveniens. 822.

In phrenitidis principiò secetur mediana, quia materia hìc est in fluxu, in statu verò cephalica, quia materia hìc iam est fluxa. 823.

Quibus in phrenitide vena non potest secari, illis in principio cucurbitulæ in brachijs affigantur, ubi verò materia iam fluxa est, in occipitio hæ apponantur. 824.

In phrenitide utimur oxyrrhodinis, & alijs repellentibus actu frigidis, quando febris adest intensa 825.

intensa cum raptu materiæ multo, sic in æstate, ac si medicamentum subtilis est substantiæ.

826. *In phrenitide utimur oxyrrhodinis & alijs repellentibus actu tepidis, quando febris adest mitior, cum raptu materiæ pauco, sic in hyeme, ac si medicamentum crassæ est substantiæ.*

827. *In phrenitide post diem quartum primùm adhibemus resolutiva, ut catulos, vel pullos, vel pulmones arietis calidos. Hæc omnia, quamprimùm incipiant refrigerari, deponantur, & alia calentia admoveantur. Si his statim à principio utimur, tum plùs materiæ attrahitur, undè apostema & febris augentur. Hæc resolutiva non solùm in vera phrenitide conferunt: verumetiam in phrenitide non vera, à materia vaporosa in capite retenta, resolvunt enim eam.*

828. *In phrenitide, ipsa unguenta & emplastra, non debent frigidè apponi, ne pori constringantur, & fumi retineantur, qui deinde maioris desipientiæ causa sunt.*

829. *Quemadmodum externæ tenebræ omnibus hominibus pavorem incutiunt: sic atra bilis color, mentis sedem tenebris similem reddens, timorem inducit. Ob id melancholici, cùm timoris causas secum deportent, semper timidi sunt.*

Melan-

Melancholia seu tristitia animi, longas 830.
ægritudines, tanquàm umbra corpus sequitur.

In omnibus morbis melancholicis, animi acci- 831.
dentia, quæ siccant, vitanda sunt, ut timor & tristitia, lætitia verò optimè competit.

In melancholicis morbis, quando melan- 832.
cholicus succus non est sanguini mixtus, vel quando sanguis in corpore existens, paucus est, tum venæsectio non conducit, sic enim sanguis calidus & humidus, qui malitiæ melancholiæ, & eius siccitati & frigiditati resistit, educitur. Hoc in casu melius est, humorem Melancholicum prius purgare, & educere, quàm venam secare.

In melancholicis morbis opera danda est, ut 833.
æger fiat obesus, & pinguis.

Vsus multi, aceti generat quidem melan- 834.
choliam, in melancholicis tamen affectibus medicamentis nonnihil additur, penetrationis saltem gratia, & ut dissecet & attenuet humoris crassitiem.

In melancholicis morbis semper unà confor- 835.
tetur cor, præcipuè cibo euchymo, & facilis concoctionis, ut indè spiritus synceri ac boni generentur.

Nervorum origini cucurbitulæ superpo- 836.
sitæ, ipsos calfaciunt, ob id curant paralyticos.

Quacunq;

837. Quacunq; parte corporis membrum aliquod resolutum est, si neq; movetur, & emacrescit, in pristinum habitum non convertitur, eoq; minùs quò vetustius id vitium est, & quò magis in corpore senili est.

838. Universalis ablatio, vel diminutio subita motus voluntarij, frigiditatem, & humiditatem cerebri significat.

839. In paralysi non licet uti localibus, nisi post frequentem evacuationem, & digestionem. Nam si in principio statim fricabis locum paralyticum cum pannis calidis, tùm materia irritatur, & magis ad locum affectum attrahitur, undè augetur malum. Ideoq; in fine tantùm morbi localibus utendum est.

840. Membro paralytico nequaquàm fortia calorifica adhibeantur, ne calor debilis à vehementer calidis resolvatur. Ideoq; localibus resolventibus, styptica non excessivè calida, commisceantur, quò calor membri naturalis conservetur, ne evaporet, transpiretq;.

841. In paralysis principio, semper à levioribus incipiendum est, & ad fortiora procedendum. Sed si periculum adesset apoplexiæ, tùm statim à principio fortioribus utendum est medicamentis. Extremis enim morbis, extrema exquisitè remedia necessaria sunt.

842. In paralysi, facta per terminationem colicæ in paralysin, tùm nequaquàm vehementer calorificis

ficis topicis utere. Hæc enim malum augent: Nam sic materia subtilis & fluxilis avertitur ad locum paralyticatum. Ideoq; medicamentis tantùm, ex repellentibus & confortantibus conflatis constructisq;, utendum est.

In paralysi nonnunquàm pars ægra est frigidissima, propter oppilationem, quòd spiritus vitalis eò pertingere non posit, sed pars sana est calidissima, ob maximam spirituum copiam eò pertingentem. Nam tunc & ea spiritus quantitas, qui ad ægram partem pervenire debebat, ad sanam quoq; delegatur. 843.

Mel rosaceum est bonum digestivum in paralysi, sed non in spasmo, quia in hoc materia est crassior, quàm in paralysi. 844.

Nonnunquàm ex usu balnei aërei, aut inunctione cum vehementer calidis circa caput, sic si statim à principio fortia digestiva & diuretica, materia nondum imminuta, offeruntur, accidit vel strangulatio, vel oris ulcera, vel asthma, ob materiam in capite fusam & liquatam. Ob eandem causam accidit nonnunquàm tortura oris, aut spasmus, aut paralysis, materia liquata ad nervos defluxa. 845.

In paralysi, quando membro paralyticato emplastra fortiora & calidiora adhibes, tum sæpiùs emplastrum amove, & contemplare locum, ne ab immodica emplastri caliditate lædatur, & exulceretur, quandoquidem membrum sensu privatum est. 846.

tum est. Ideò sæpiùs observetur dispositio impressionis emplastri. Quare locus cum levi digitorum compressione contrectetur, si rubedo loci inde evanescit, & locus abesit, tùm certum est, emplastrum non nocere, & locum affectum nihil lædere. Si verò ex digitorum compressione, & contrectatione levi, rubedo non cedit, sed fixa manet, & locus caleat, tùm tempus est, ut emplastrum deponatur, ne locus exulceretur.

847. In paralysi inungatur nervorum origo, & spina dorsi, competentibus oleis.

848. Diureticis & sudorem provocantibus nequaquàm utimur in paralysi, nisi corpore probè ac sufficienter evacuato, quia periculum est, ne partes nervosæ debilitatæ, superfluitates per diuretica attenuatas recipiant, præsertim cùm materiæ iam à natura eò delegentur, declinentq;

849. In tortura oris, non competunt gargarismi, & sternutatoria, nisi postquàm corpus probè evacuatum fuerit.

850. In linguæ paralysi stultè faciunt, qui sub lingua vehementer calida ponunt. Sic enim plus materiæ attrahitur, unde malum augetur, ideò styptica quædam addantur, ut galanga, nux moschata, &c.

851. In paralysi linguæ non debemus festinare ad apophlegmatismos, donec corpus probè sit purgatum. Sic enim augetur malum.

Quando

Quando in paralysi immodicè siccantia lo- 852.
calia adhibentur, sæpè succedit spasmus.

In paralysi si sanguis non redundat, tùm pe- 853.
riculosum est venam secare, quia sic cerebrum & nucha infrigidantur, & virtus debilitatur.

Phlebotomia nunquàm iuvat in paralysi, nisi 854.
fuerit à percussione.

In paralysi à causa sanguinea, vel sanguini 855.
mixta, fiat phlebotomia consentientibus alijs, & non multum sanguinis detrahatur. Sic enim non est timor de caloris nativi imminutione, aut frigiditatis intensione.

Spasmo aut tetano febris si accesserit, mor- 856.
bum solvit.

In spasmo membrum curtatur, abbreviaturq; 857.
in paralysi verò prolongatur.

Localia remedia, in spasmo repletionis, de- 858.
bent esse resolutiva fortia, præmissis tamen mollificativis, vel cum resolutivis mixtis. Humor enim spasmi crassior, per debilia resolutiva non resolvitur, sed crassior redditur, propter partium subtilium resolutionem.

In spasmo, ut in paralysi, semper à leviori- 859.
bus est incipiendum, sed quando spasmus est fortis, & mortis periculum præ foribus est, ut in tetano, mox fortiora exhibenda sunt remedia.

In tetano sine ulcere, iuvene eusarco, æstate 860.
media, frigidæ larga profusio calorem revocat. Calor verò solvit.

861. Convulsioni febrem accedere satiùs est, quàm febri convulsionem.

862. Convulsio ab elleboro lethalis.

863. Convulsio à vulnere pernitiosa.

864. Convulsio à repletione fit, vel vacuatione, ita verò & singultus.

865. In catalepsi, palpebræ manent apertæ. In sopore verò clauduntur perpetuò.

866. In subeth æger interrogatus non respondet. In lethargo verò respondet.

867. In subeth pulsus fortis, & similis pulsibus sanorum, colorq; faciei, non multùm à colore sani hominis differt. In syncope verò pulsus debilis est, & deficiens, & color faciei, sicut hominis mortui.

868. Humidum & calidum corpus, fluxionum vitijs obnoxium sæpè redditur.

869. Fluentium humorum retractio, & eorum, qui iam corpus obsederunt, derivatio, medela est fluxionis. Etenim motum ad contrarium semper trahere, expedit.

870. Materiam prohibere fluentem, & iam fluxam evacuare, membrum à quo fluit, infrigidando confortare, & quod iam collectum est, calefactivis resolvendo purgare, permittentibus virtute, tempore, & aëre, maximum dant in curandis fluxionibus auxilium.

871. Naturalis humorum fluxus, aut per viam crisis

crisis factus, undecunq; fuerit, dummodò non superfluus, haudquaquàm restringendus est.

872. Frequens destillatio in corpore tenui, longoq; tabem timendam esse testatur.

873. Post nimias destillationes, tabes.

874. Luna quò magis removetur à Sole, eò magis fluxiones & humores causat in corporibus.

875. Quorum caput humidum est, & rheumatismis abundans, in acutis vocibus festinanter mutescunt.

876. Destillationes, & gravedines, coctionem in valdè senibus non admittunt.

877. Destillationes in ventrem superiorem, ad suppurationem perveniunt intra dies viginti.

878. In morbis ex catarrho seu fluxione ortis, in principio materia lenitivo est imminuenda, postea verò materia influens, ad contrariam partem est revellenda, ut fricatione moderata, deligatura, venæsectione, clystere, fomento, cucurbitulis, vomitu, errhinis, nasalijs, vesicatorijs, cauterijs, & latere calente pedibus subiecto.

879. In principio catarrhi competunt gargarismata styptica, inspissantia & comprimentia. Detestantur verò gargarismata resolventia & attrahentia ab initio, in processu verò competunt.

880. In fluxu cerebrali seu catarrhali, detestatur usus masticatoriorum & gargarismatum, ne sic materia ad stomachum & intestina trahatur, avertaturq;, sed errhinorum optimè confert.

881. Præsente rheumate fomentationes lotionesq; capitis & pedum, penitùs dimittendæ sunt, maximè ante materiæ antecedentis evacuationem, sic & pectinatio capitis in principio detestatur, sic & caput multùm movere improbatur.

882. In catarrho, ubi materia est frigida, detestatur venæsectio, sic & in materia calida, si materia non exiſtit intra venas.

883. In catarrho tantùm in tribus casibus phlebotomia admittitur. Primò, quando plethora adest: secundò, quando catarrhus procumbit, vel ad oculos, vel fauces, undè angina, vel pulmones, undè peripneumonia, vel ad pleuram, undè pleuritis: tertiò, si febris adest intensa, & præcipuè continua. Aliàs ubi vena tunditur, periculum est, ne humores intra venas attrahantur, & succedat febris aut pleuritis.

884. Vbi febris suo calore fundit, & liquat materiam in capite, undè tussis, hìc phlebotomia conceditur, ut æstus mitigetur.

885. In principio catarrhi, poma ambræ non sunt odoranda, quia sua caliditate intemperiem cerebri augent, undè materia tenuior, & fluxibilior fit, sed in declinatione ad reliquias resolvendas, cõpetunt.

886. Stultè faciunt, qui statim in principio catarrhũ, antequàm materia minorata & evacuata sit, sistere & cohibere conantur, sic enim materia compingitur. Quare materia coacervata & multiplicata, postea cum magno impetu prorumpit, & fit catarrhus, & fluxus copiosior priore.

Quando catarrhus per nares effluit, non sistatur. 887.

Materiam per venas & arterias ascendere ad caput, constat ex vehementi pulsatione, ac tensione venarum. Levamen autem succedit, si pulsum venarum manu, lamina plumbea, aut styptico emplastro inhibueris. 888.

Quando catarrhus adest subtilis, qui refrigerantia & inspissantia requirit, materia verò in pectore crassa existens, requirat attenuantia dissecantia, tùm dispositioni magis infestæ succurras, nempè, catarrho, posteà & materiæ fluxæ, aut facies medicamentũ, quod utriq; dispositioni competat, aut sic componas, ut syrupi respiciant catarrhum, aquæ verò materiam in pectore contentam. 889.

In catarrho extrinsecùs membrum recipiens, in principio fluxionis, confortetur repellentibus. Hæc verò in circuitu membri recipientis administrentur, supra verò membrum ipsum recipiens ponantur anodyna, ut sic dolor mitigetur, ne plus materiæ attrahatur. 890.

Dùm uteris repellentibus, materia revellatur, & evacuetur, ne materia repulsa ad membrum nobile, regurgitet. Cave item, ne membrum repellentibus immodicè refrigeres, ne corrumpatur, & denigretur locus calore nativo extincto. 891.

In catarrho in tribus casibus utimur gargarismis: primò, in catarrho calido subtili, utimur gargarismis refrigerantibus, inspissantibus ac styptícis, 892.

ut sic catarrhus subtilis inspissetur, & eius acumen hebetetur, & catarrhus quodammodò sistatur. His gargarismatibus etiam à principio uti licet. Secundò, calorificis, quæ materiam catarrhalem à cerebro detrahant, horum usus in principio. Tertiò etiam abstergentibus, ut sic materia ad fauces defluxa abstergatur.

893. *A somno surgentes, ubi gravitatem in stomacho, aut dolorem sentiunt, signum est, catarrhum tempore somni ad stomachum defluxisse.*

894. *Actu frigida oculis, expurgato ventre, sive incisa vena, vel sæpiùs utroq; facto, & non aliter, admovenda.*

895. *Aëris luminositas vivificos spiritus dissolvendo, visum multùm debilitat. Ipsius verò obscuritas, illos congregando roborat.*

896. *Oculos, prout decet, curare impossibile est, nisi ipsi capiti cura priùs inducatur, nec caput potest curari, nisi ipsum corpus totum præcuretur.*

897. *Viridis color visui est delectabilis, albus autem & splendidus, nocivus est.*

898. *Fortissimos oculorum dolores sedat humeralium venarum facta apertio è directo.*

899. *Chronicè rheumatisantes oculi, levantur cucurbitula admota thoraci, aut scapulis facta scarificatione.*

900. *Nihil coitu oculis nocentius.*

901. *Crapula nocet oculis, magis qui à cibo statim dormiunt.*

Sanguinis

Sanguinis frequens emissio, oculorum claritati obest. 902.

Qui affectibus oculorum laborant, caveant à fortibus vomitorijs, & à caputpurgijs, seu errhinis. 903.

In oculorum passionibus, in fine plurimùm competit balneum aquæ dulcis, quia hoc subtiliat humorem in oculo existentem, aperit poros, & efficit, ut materia per cœcam transpirationem evaporet. 904.

In catarracta, phlebotomia non admittitur, nisi plenitudinis & plethoræ signa affuerint, & urina rubea, & oculorum venulæ rubeæ fuerint, ac tumentes, tunc moderata medianæ phlebotomia conceditur. Sed copiosa phlebotomia hoc in casu semper improbatur. Cerebrum enim indè refrigeratur, & aquositas in eo multiplicatur. 905.

Qui ex oculis laborant, illis nequaquàm provocantia vomitum offerantur, ne materia irritata copiosiùs ad oculos defluat. 906.

In Ophthalmia laborantem alvi profluvio corripi, bonum. 907.

Oculorum dolores, meri potio, aut balneum, aut fomentum, aut phlebotomia, aut purgatio solvit. 908.

Dolores oculorum post meraci vini potum, & aquæ calentis balneum, venæsectione curato. 909.

Quibuscunq; in morbis oculi ex causa illacrymant, bonum: Quibuscunq; sine causa, malum. 910.

 In oph-

911. In ophthalmia ægro, neq; debet adhiberi balneum, nec cataplasma, fomentum, collyria, nisi priùs corpus sit evacuatum, aut phlebotomia, aut pharmaco deiectorio.

912. In oculorum affectibus, post ventris purgationem, multùm refert in occipitio cucurbitulam affigere, & in fronte apocristica adhibere.

913. Medicamenta, quæ in oculos insperguntur, debent subtilissimè esse pulverisata, & omni asperitate carere.

914. Errhina & sternutatoria detestantur in paratis ad ophthalmiam, oculorum lacrymas, & catarractam.

915. Fortia repellentia, in principio morborũ oculorum, ante corporis inanitionẽ nequaquàm oculis indantur. Sic enim oculorum pori adstringuntur, & obstruuntur, undè materia sic detinetur, quæ vehementissimas phlegmones, doloresq; difficiles invehit, ut interdum cornea tunica, ob nimiam ab humoribus extensionem, disrumpatur, præcipuè ubi rubor, plurimaq; materia oculos occupauerit.

916. In oculorum passionibus, collyrijs ex fellibus ad postremum, quando alijs nihil efficimus, utimur. Quando autem hæc adhibemus, æger in ore interim gestet aquam frigidam, & assumat parum theriacæ. Sic ante usum horum collyriorum ex fellibus fronti repercussiva imponantur, & fomentetur oculus priùs decocto humectante.

917. Lac, ubi intra oculum immittitur, ultra horam in

ram in oculo non dimittatur, quia ibi corrumpitur, & sua acetositate mordet, & lædit oculum.

In oculorum affectibus, pili palpebrarum præscindantur, ne sua longitudine pungant, & lædant oculum. 918.

Antequàm aliquid oculis indas, priùs illi mundificentur, & abstergantur cum coto in aqua sacchari infuso, & extremitati styli alligato. 919.

Errhina & nasalia, ubi æger ex oculis laborat, non probantur. Sic enim materia ad oculos avertitur. 920.

In ophthalmia, si magna adest plethora, tùm principiò venæ tali secentur, sic ubi & mensium adest retentio, deindè aperiatur mediana, tertiò cephalica, si enim præsente plenitudine tunderetur cephalica, tùm humores è corpore toto ad caput averterentur, undè augeretur malum. 921.

Opiata, sunt oculorum maxima pernicies. 922.

In oculorum affectibus, nequaquàm fortia repellentia medicamẽta in principio administrentur, quia tunicas reddunt crassas, & materiæ resolutionem, & evaporationem prohibent, doloremq; augent. Clausis enim poris materia calida, & mordax, corrodit tunicas, undè dolor vehemens. Si verò materia non fuerit mordax, sed multa, tùm distentendo augebit dolorem. Ideò sieff opiatum cautè administretur, & potiùs supra oculum ponatur. 923.

Medicinæ debent actu tepidæ in ophthalmia in oculos 924.

in oculos immitti. In ſanitate verò actu frigidæ adminiſtrentur.

925. *Actu calida auribus, expurgato ventre, ſive inciſa vena, vel ſæpiùs utroq; facto, & non aliter admovenda.*

926. *Nihil plùs adverſus ſurditatem, quàm biliosa alvus poteſt.*

927. *Surdi quandoq; fiunt, ubi bilioſus fluxus ventris ſubſtiterit.*

928. *Surditas magna & antiqua, medicaminũ auxilia non admittit.*

929. *Lac, quando intra aurem immittitur, non diu illic dimittendum eſt, quia facilè corrumpitur.*

930. *Narcotica non facilè auribus indantur, niſi ſumma hoc exigat neceſsitas.*

931. *In maturativis aurium ſemper admiſceantur, quibus exiccandi vis ineſt, ut naturalis earum complexio conſervetur, quæ ſicca eſt.*

932. *Quando parotides, ſeu inflammationes iuxta aures eveniunt, tùm nequaquàm repellentia medicamenta in principio adhibeantur, ſed potiùs attractiva adminiſtrentur. Repulſa enim materia ad interiora, accidit inde aut apoplexia, aut paralyſis, aut ſpaſmus, aut angina, aut phthiſis.*

933. *In aurium apoſtematibus, nunquàm meris, ac nudis utendum eſt repellentibus, ne materia repulſa ad interiora, accidat phrenitis, aut lethargus, aut phthiſis.*

Quibus

Quibus olfactus triennio abfuit, ſemper deficiet. 934.

Sanguine ex dextra nare fluente, brachij dextri cephalicæ apertio, aut cucurbitula dextro appoſita hypochondrio, & contrà, ſiſtit fluxum ſanguinis. 935.

Dextræ naris ſanguinis fluxum ſedat cucurbitula, dextro appoſita hypochondrio, ſiniſtræq; ſiniſtro. Sub mammillis menſium fluores mulierum compeſcit. Femori autem ac cruribus, ipſos menſes evocat. 936.

In curatione polypi & ozænarum, ac reliquorum narium ulcerum, medicamenta aſſiduè ſunt adminiſtranda, neq; unquàm pars affecta abſq; medicamento dimittenda. Facilè enim ob influentem humorem eluuntur. 937.

In profluvio ſanguinis narium, cave ne caput refrigerantibus medicinis immodicè refrigeretur, ne ſanguis in reti mirabili concreſcat, & ſuccedat apoplexia, vel aliud grave malum. Sic quoq; non admodum eſt tutum, aſſiduè collum circumdare panno lineo in aqua frigida madefacto, ne ſic in venis apoplecticis ob ſanguinem coagulatum accidat apoplexia. 938.

Nonnunquàm in profluvio ſanguinis narium, unà cum ſtercoribus ſanguinis, aliquid excernitur, ob ſanguinem qui ex capite ad ſtomachum defluxit. 939.

In ſanguinis narium profluvio, cavendum ne quid 940.

ne quid sanguinis intra corpus illabatur, quia inde sævissima symptomata subsequuntur, videlicet ventriculi inflatio, pulsus diminutus, & syncope. Quare caput pronum servetur.

941. Sternutamentum cietur ex capite, cerebro excalfacto, aut perhumectato spacio in capite inani. Aër enim intùs contentus, foràs erumpit. Strepit autem, quia per angustum ipsi est exitus.

942. Quando aliquis usus est sternutatorio, & inde ardorem aut pruritum in naribus sentiat, tùm inungantur nares, aut oleo rosaceo, seu violaceo, aut attrahat per nares lac muliebre.

943. Sanguis spumosus ab ore egrediens, à pulmone ejicitur. Vomitu autem reiectus, à stomacho egreditur.

944. Sicut inflammativa, & subtiliativa cogunt effluere sanguinem: sic infrigidantia, & ingrossantia prohibent emanare.

945. Mulier sanguinem evomens, erumpentibus menstruis liberatur.

946. Si in ventrem sanguis præter naturam effunditur, necesse est suppurari.

947. Quibus in pueritia sanguis ex naribus fluxit, dein fluere desiit, ij vel capitis doloribus conflictentur necesse est, vel in articulis aliquas exulcerationes graves habeant, vel aliquo morbo etiam debilitentur.

948. Si ora venarum, sanguinem solita fundere, subitò suppressa sunt, aut aqua inter cutem, aut abes sequitur. Quibus

Quibus sæpè ex naribus fluit sanguis, his aut lien tumet, aut capitis dolores sunt, quos sequetur, ut quædam ante oculos tanquàm imagines obversentur. 949.

Si sanguis profluxit, deinde secuta est dementia, cum distensione nervorum, periculum mortis est. 950.

Si angina subitò finita est, in pulmonem id malum transit, idq; sæpè intra septimum diem occidit. Quod nisi incidat, sequitur, ut aliqua parte suppuret. 951.

Angina correpto, si tumor appareat in collo, bonum. Foràs enim morbus existit. 952.

Ab angina detento, tumor & rubor in pectore superveniens, bonum. Foràs enim morbus vergit. 953.

In principio anginæ, gargarismata repellentia solummodò teneantur in ore, non gargarisentur, ne plus materiæ ad locum affectum avertatur. Insuper & parumper tepida, ut sic meliùs penetrent, administrari debent. 954.

In difficili deglutitione, ut in angina, multùm refert, cucurbitulam amplam absq; scarificatione affigere circa secundam vertebram. Fauces enim hoc reddit ampliores. 955.

In angina, nequaquàm repellentia medicamenta extrinsecùs in collo sunt administranda, ne materia ad interiora, sive ad pulmones repellatur. 956.

In angi-

957. *In angina, uvula, alcola, & gingivarum ulceribus, ubi locus incipit livescere & corrumpi, tùm repetatur phlebotomia, & alvi purgatio, postea scarificetur locus profundis vulnusculis, si corruptio profunda est, tandem gargarisetur acetum calidum, aut oxymel simplex, deinde locus denigratus impleatur unguento ægyptiaco. Si verò putrefactio & corruptio, sic non potest inhiberi, tùm cauterisabis locum cauterio actuali, vel aqua forti. Ardor autem mitigetur cum lacte in ore detento, aut cum aqua plantaginis, aut solatri.*

958. *Vbi fauces dolent, aut pustularum eruptiones exoriuntur in corpore, excrementa spectare oportet. Nam si bilioſa fuerint, unà corpus ægrotat: si verò sanorum excrementis similia, tutò corpus alere poteris.*

959. *Strangulati aut suffocati, non tamen mortui, ad se non redeunt, quibus circa os collecta spuma apparuerit.*

960. *Balbi longo alvi profluvio maximè corripiuntur.*

961. *Collutiones oris, quæ in dentium dolore exhibentur, debent actu esse temperatæ. Frigida enim intensè nocent dentibus, sicut & vehementer calida. Nam à frigidis calor naturalis dentium, qui paucus est, extinguitur, à calidis verò resolvitur.*

962. *In uvæ procidentia periculosum est, statim à princi-*

à principio sub uva ponere pulveres calidos attractivos, nulla materiæ facta evacuatione.

963. *In uvæ procidentia, gargarismata non probantur. Quia motus ille agitativus materiam concitat, & ad uvam avertit.*

964. *In dentium dolore masticatoriorum usus detestatur.*

965. *Extrinsecùs in dentium dolore, non est tutum repellentia medicamenta administrare, ne materia ad fauces repellatur, & efficiat anginam, sed extrinsecùs tantùm anodyna & resolventia applicentur.*

966. *Etsi acetum dentibus noceat, nonnunquàm tamen penetrationis gratia, reliquis medicamentis additur, propter ossium duritiem.*

967. *Omnia ossa humani corporis confirmantur, curantur, & ad locum suum revocantur, exceptis dentibus, qui extracti, nunquàm restituuntur.*

968. *Oris resolutio alvo cita sanatur.*

969. *Vlcera pulmonis, cæteris ulceribus sunt curatu tardiora.*

XII.

De morbis mediĩ ventris, nempe de thoracis & pulmonum affectibus.

970. *Pulmonum incommoda muliebri lacte, pueri*

impubis urina, atticoq; melle, mensuris æqualibus mixtis, sanantur.

971. Tabes subit, si in lateris dolore orta suppuratio, intra quadraginta dies purgari non potuit.

972. In pulmonum morbo pus expuisse, deindè ex toto spuere desiisse, mortiferum est.

973. Autumnus, tabidis nocuus.

974. Tabes ijs maximè ætatibus fit, quæ à decimo octavo ad triceſimum quintum.

975. Qui tabe vexantur, si sputum quod extussiunt, carbonibus iniectum olet graviter, & capilli defluunt, pernitiosum signum.

976. Quibus per tabem capilli defluunt, ijs fluxione alvi superveniente, in propinquo mors.

977. Si tabe detento profluvium alvi superveniat, pernicioſum.

978. Pillulæ ubi exhibendæ sunt in phthisicis ad purgandum corpus, tùm formentur cum syrupo violarum, aut iuiubino, aut nenupharino, ne pillulæ febres hecticas augeant.

979. Phthisici quando multam sentiunt in ventre ventoſitatem, tùm utantur aniſo confecto, unam habente cooperturam sacchari.

980. Infantes à phthisi facilius liberantur.

981. In morbis pectoralibus, ut in tussi ex catarrho, si nihil sputi reijciat æger, tùm considera eius causam, num materia nimiù sit subtilis, aut crassa. Si nimiù subtilis, inspissantia offerenda sunt, ut Dia-

tragacanthum frigidum: si verò nimis crassa, tùm attenuantia, & dissecantia offeras, & semper à levioribus incipias, & ad fortiora procedas. Materiam autem nimis esse subtilem aut crassam, ex sputi reiecti substantia deprehendes. Si enim sputum per totum est crassum, tùm nimis crassæ est substantiæ, si verò in medio tantùm crassum, & circumferentia tenue, tùm tenuis est substantiæ.

In pectoralibus vitijs solutiva non exhibentur ad evacuandam materiam coniunctam in pulmone existentem, sed tantùm antecedentem. 982.

Vnguenta quæ pectori inunguntur, tepida administrentur. Frigiditas enim nocet pectori, & tussim auget. 983.

In pectoris vitijs, ubi materia copiosa est, detestantur pharmaca purgatoria fortia, ne syncope accidat, ob materiam fusam. Si vomitus fortis improbatur. 984.

In vitijs pectoralibus ac catarrhalibus, non tutùm est administrare pectori epithemata, & sacculos frigidos, ne materia in pectore contenta, à resolutione & excretione prohibeatur. 985.

Quando cum pectoris affectibus unà epar laborat, tùm pectoralibus medicinis unà, quæ epar respiciant, commisceto. 986.

Quibus circa pectus materia existit copiosa, detestatur in principio, antequàm materia est imminuta, vomitus vehemens, & sternutatio fortis, 987.

ne indè accidat syncope, aut suffocatio ob materiam motam. Materia autem minorata, hæc probè competunt.

988. Quibus circa pectus materia existit copiosa, detestatur in principio vehemens ac fortis purgatoria medicina, ne materia fusa liquataq; fiat syncope.

989. In morbis pectoralibus, quando nuda calida medicamenta & resolutiva offeruntur, nullis mollificantibus & lenientibus adiectis, tùm materia fit crassior, & viscosior, subtilibus scilicet partibus evaporatis, resolutisq;, ut minimè tussi reijci possit.

990. Sic in morbis pectoralibus intensè frigida detestantur. Reddunt enim materiam crassam crassiorem, & quasi congelatam, ut minimè expui possit.

991. Quando pectori administras unguenta & emplastra, cave os stomachi attingas. Sic enim appetitus prosternitur, & stomachi robur exolvitur.

992. Hordeum debet esse excorticatum pro aqua hordei, in morbis pectoralibus.

993. Cùm ad vigorem pervenit peripneumonia, nisi expurgetur, in nullo alio auxilium sperandum est.

994. In peripneumonia, si difficulter spirat æger, fuerintq; urinæ tenues & acres, atq; sudores in capite, & cervice oriuntur, malum. Contrà sputa matura, urinæ crassæ, bonum.

A pleu-

A pleuritide peripneumonia, malum. 995.

In laterum doloribus, si materia in quatuordecim diebus non excreatur, vomica oboritur, quæ rursus si quadraginta diebus non purgatur, tabes subit. 996.

Prægnantibus, senibusq; laterum dolores plærunq; lethales sunt. 997.

Qui ex pleuritide empyi fiunt, si à ruptione empyematis intra dies quadraginta repurgentur, liberantur: alioqui transeunt in tabem. 998.

Pleuritide aut peripneumonia detento diarrhæa interveniens, malum. 999.

Qui acidum ructant, non admodum pleuritici fiunt. 1000.

In pleuritide, rupto abscessu, si pus expellitur ad pectoris concavitatem, tùm materia adiuvanda est lambitivis, ut sic evacuetur. Si verò pus ad vias urinæ expellitur, tùm diureticis evacuetur, & si febris adest, hæc refrigerantibus aperitivis temperentur. Quòd si sanies ad intestina vergit, tùm evacuetur clysteribus absterssuis, & per os dentur flores cassiæ, aqua mellis, &c. Quando autem sanies est collecta inter carnem & cutem ac tumor emergit, tùm perforetur, aut cauterio actuali aperiatur. 1001.

In pleuritide, quando materia affluit à capite, in principio revellatur incisione cephalicæ affecti lateris, postea medianæ, quando autem à matrice, ut in retentis mensibus, venæ tali, postea 1002.

medianæ. Si verò à crure, ob consolidatum ulcus, saphenæ, posteà medianæ.

1003. *In pleuritide, quando totum corpus valdè repletum est sanguine, tùm semper conducit in principio universalem repletionem sanguinis minuere sectione venæ communis, scilicet medianæ in latere opposito, & non in affecto.*

1004. *In venenosa pleuritide quidam in principio utrasq; saphenas aperiunt, & posteà medianam affecti lateris.*

1005. *Medici rarò in principio pleuritidis vocantur, ideò commodè mediana affecti lateris secatur.*

1006. *Cathartica fortia in pleuritide nequaquàm offerantur, sic enim fluxio concitatur, moveturq;, ut copiosiùs affluat, undè apostema crescit, dolor intenditur, febris, & corporis debilitas augetur.*

1007. *Doloribus lateris & pectoris, cæterarumq; partium, an ægri multùm differant, discendum est.*

1008. *Solutivorum stypticorum usus in pleuritide detestatur, ut Myrobalanorum, Rhabarbari in substantia, &c. Hæc enim vestigium stypticitatis relinquendo, facilem sputi reiectionem impediunt.*

1009. *Digestiva in pleuritide, tempore hyemis, calida sunt offerenda, tempore verò æstatis tepida, & bis per diem exhibeantur, manè scilicet in aurora, & vesperi per duas horas ante cœnam.*

1010. *Pleuriticis, quæ è directo affecti lateris adhibetur*

hibetur sanguinis missio, clarissimam utilitatem adfert. Quæ verò ex brachio opposito, aut omninò obscuram, aut certè post temporis intervallum.

1011. *Pleuritici sputum excipiant pelvis mundis, ut sic ex eo melius iudicari possit.*

1012. *Calefactoria in pleuritide infrigidari incipientia, citissimè sunt auferenda, ne sua actuali frigiditate materiam ingrossando, & poros claudendo, inferant nocumentum.*

1013. *Quando in pleuritide adhibitis auxilijs omnibus, dolor non mitigatur, neq; intra quatuordecim dies mundificatur, sed febris & anhelitus difficultas, dolor & tussis augentur, tùm certum habes indicium, apostema ad suppurationem tendere. Quare repentè molienda est suppuratio maturativis medicinis, & posteà mundificativis, & absterssivis utendum est.*

1014. *Quando in pleuritide maturandum est, nequaquàm ipsa venæsectio repetatur. Quia evacuato sanguine & spiritu, calor nativus debilitatur, & materia congelatur, undè probibetur ipsa maturatio.*

1015. *Si empÿs cùm uruntur, aut secantur, purum & album pus effluat, evadunt; si verò sub cruentum, ferulentumq; & fœtidum, pereunt.*

1016. *In empyemate, quando pus in pectore est collectum, ut in fine pleuritidis, vel peripneumoniæ, ac in pectore tumor apparet, aut aliàs quædam mutata qualitas, tùm aperiatur pectus vel*

cum cauterio actuali, aut potentiali, aut cum raſorio, ſecundum coſtarum longitudinem, inter quartam, & quintam coſtam mendoſam, & paulatim ſanies ſic emittatur, extrahaturq́, deindè rurſus claudatur vulnus, nec diu dimittatur apertum, ne ab aëre fiat alteratio, & caloris ac ſpirituum exhalatio.

1017. Inſtans ſuppuratio diſcutienda eſt, ſubſiſtens reſolvenda, increſcens utroq; modo oppugnanda eſt.

1018. A ſanguinis ſputo puris expuitio, malum.

1019. Quando ſputum ſanguinis ſuccedit ſyncope, ſignum eſt, ſanguinem in pulmone ſeu pectore concretum eſſe.

1020. Quando ex uſu ſiſtentium ſanguinem anhelitus fit difficilior, tùm offerantur, quæ pectus rurſus amplient, elargentq́, & quando anhelitus rurſum facilior fit, ad adſtringentia & ſanguinem ſiſtentia redi.

1021. Quando aliqua in corpore rupta eſt vena, tùm alöes uſus tibi ſuſpectus eſſe debet.

1022. In confeſſo eſt ſpirationem à vita, & vitam à ſpiratione ſeparari non poſſe, adeò ut viventem non ſpirare, & ſpirantem non vivere, ſit impoßibile.

1023. Pulmone carentia, carent & ſpiramine, & in aqua non demerguntur.

1024. Spiritus frequens, aut doloris, aut inflammationis, in partibus ſepto tranſverſo ſuperioribus, indicium

indicium eſt. Magnus, & ex longis intervallis, delirium declarat. Frigidus, ex naribus & ore prodiens, lethalis admodùm eſt.

1025. Facilis ſpiratio in morbis acutis, quibus febris copulatur, quæq́, intra quadraginta dies finiri ſolent, magnum habet ad ſalutem momentum.

1026. Aſthmatici debent ſæpè & parùm bibere, ſi enim multùm bibunt, tùm augetur cauſa antecedens, id eſt, craßi & crudi humores in corpore multiplicantur. Quòd autem talis humor indigeat humectatione, indè conſtat, quia ipſe continetur in locis anguſtis, & in loco multi caloris, & in membro continui motus, undè quàm facilimè indurari humor poteſt.

1027. In pulmonis vitijs, poteſt nonnunquàm anhelitus eſſe bonus, & pulſus malus, quando ſcilicet vitium exiſtit in venis, & arterijs pulmonis, & non in carne, vel canna eius.

1028. Dulcia tußientibus & moderatè calida conveniunt. Acuta autem, acetoſa aut frigida actu, nuſquàm debent exhiberi.

1029. Quando tußis eſt vehementißima, & continua, non permittens ægrum quieſcere, tùm pillulæ ſtupefacientes offerendæ ſunt, ut pillulæ de ſtyrace.

1030. Quando tußis accidit in febribus, ob fumos acutos pulmonem ſtimulantes, tùm offerantur refrigerantia & humectantia intra corpus, talia quoq; in ore geſtentur, ut aqua hordei, & ſyrupus

violaceus. Eiusmodi etiam valent, quando tussis adest ob catarrhum, ratione febris colliquantis, ortum.

1031. Qui vehementer tussiunt, nonnunquàm sanguinem mingunt.

1032. In tussi frigida, & materia crassa ac viscosa, nequaquàm intensè calida, & purè resolutiva exhibeas, quia materiam in pectore crassam crassiorem reddunt, partibus subtilibus resolutis, & exiccatis. Ideò cùm fortibus uteris resolutivis, tùm semper quæ & vim leniendi, & humectandi habeant, cum hisce commisceas, ut passulas, caricas, violas, hordeum, liquiritiam, saccharum candum, &c. Quare ubi opus est exhibere syrupum de hyssopo, vel de calamento, tùm unà cum eis commisceas syrupum violaceum. Sic ubi cogeris exhibere ob materiam valdè crassam oxymel, tùm unà admisceas syrupum de liquiritia, ne oxymel ob acetum lædat pectus.

1033. In vehementissima tussi conducunt opiata, ut philoniũ Romanum, pillulæ de cynoglossa, &c. Hæc autem non, nisi corpore probè purgato, offerantur.

1034. In tussi & asthmate, omnes autores venæsectionis nullam faciunt mentionem, sicut etiam in catarrho, qui in pectus defluit. Sed quando magna adest plenitudo seu plethora, & materia in venis est contenta, vel ubi mensium seu hæmorrhoidum adest suppressio, tùm venæsectio imperanda est. Hìc plærunq; tussis quæ adest, sicca est.

In cura-

In curatione tussis & asthmatis à materia frigida, crassa & viscosa, curandum est, ne medicamenta subtiliativa & maturativa sint nimis calida, resolventia & acuta, ne sic materia subtilis exiccetur & evaporet, & materia crassior fiat. Et si vehementer calidis utendum est, tùm horum caliditatem hebetes obtundas q̃, prætereà semper quædam lenitiva, & lubrica commiscenda sunt. 1035.

Qui sæpè & vehementer sine causa manifesta animo linquuntur, ij derepentè moriuntur. 1036.

Vinum natura calidum, dandum est ijs, qui vehementem omninò patiuntur syncopen. 1037.

Humorum omnium supervacua exinanitio, cordis vires offendit. 1038.

Odorata omnia cordi conveniunt. 1039.

In omni cordis tremore competit venæsectio, virtute adhuc existente forti. In causa calida cum sanguinea repletione non est dubium: in causa verò frigida etiam confert, quia cùm cor naturaliter abundet sanguine pro necessitate finis, ad generationem spirituum, dubium non est, ob assiduum cordis tremorem sanguinem in corde incipere ebullire tandem. Vndè venæsectio hic etiam competere videtur. 1040.

Sacculi cordiales refrigerantes, antequàm administrantur, priùs calefiant vapore aquæ rosaceæ vel buglossæ, candenti lateri, insperſæ, & sic tepefacti adhibeantur. 1041.

Epithe-

1042. *Epithemata cordis, antequàm venter purgatus sit, nunquàm administrentur.*

1043. *Epithemata cordialia, antequàm applicantur, expresso linteolo priùs gestentur parumper inter manus, ut sic tepefiant, tandem administrentur, aut aquis priùs tepefactis, cordi applicentur. Quidam antequàm ea administrant, priùs in duplici vase semel aut bis ebullire permittunt, & tandem administrant.*

1044. *Vnguenta pro cordis confortatione, ieiuno stomacho per unam horam ante cibum assumptum, inungantur.*

1045. *Epithemata cordialia efficatiora sunt sacculis. Citiùs enim ad cor eorum virtus penetrat.*

1046. *In cordis confortatione refrigerantibus, semper calidum quippiam aromaticum & odoratum, ut crocum, admisceto, ut calor nativus sic conservetur, & refrigerantia ad cor citiùs penetrare, perferriq; possint.*

1047. *Immodicè calida detestantur, ne spiritus resolvantur. Ideò calidis quædam refrigerantia admisceantur, ut spirituum substantia uniatur, & medicinarum vis conservetur, donec ad cor perveniat.*

1048. *Cor confortantia etiam arteriis in carpo imponantur.*

1049. *Vbi spiritus aliquo in morbo immodicè fuerint resoluti, restaurentur cibo euchymo, ut vino, ovis, gallinis, grato odore, conversatione cum iocosis &*

sis & ridiculosis hominibus, musicis instrumentis, iucundis cantilenis, aëreq; puro inspirato.

XIII.

De morbis infimi ventris.

Frigida ciborum collectio, in ventriculo remanens, humores gignit acerbos. Calida autem, fumositates generat. Et sic morbus calidus fumositatem gignit, & frigidus acetositatem. 1050.

Frigida cerebri complexio cum calida iecoris distemperatura, ventriculum fluxionibus obnoxium reddit. 1051.

Singultus sternutamento finitur. 1052.

Longas deiectiones supprimit vomitus. 1053.

Si senioribus supra modum purgatis singultus supervenerit, malum. 1054.

Frequens medicamentorum usus, stomacho officit. 1055.

Oleosa & pinguia, stomacho inimica sunt. 1056.

Singultus infiniti ex ictu capitis, lethales sunt. 1057.

Singultus ab inanitione, lethalis. 1058.

Stomacho affecto plærunq; dolor est, circa decimam spinæ vertebram. 1059.

Quando in stomachi inflatione, & abominatione, ob materiam pituitosam, intestinorum accidit murmur, signum est, materiam esse subtiliatam, dissolutamq;, & ad exeundum paratam, ideò evacua. 1060.

Vomitus

1061. Vomitus ſpontaneus in morbi initio, levitatem, & ſubtilitatem materiæ portendit.

1062. Quando ſtomachus longo tempore dolore quodam moleſtatur, qui neq; vomitu, neq; aliqua alvi purgatione ſedatur, ſignum vehementis adhæſionis, aut imbibitionis humoris in ſtomacho.

1063. Quando vomitus, antequàm corpus purgatum eſt, intempeſtivè ſiſtitur, nonnunquàm materia regurgitat, vel ad epar, vel lienem, vel caput. Id ſi accidat, ſecetur vel epatica, vel baſilica ſiniſtra, vel cephalica, & purgetur materia ſtypticis.

1064. Quando vomitus adeſt, deteſtatur croci uſus.

1065. Quando ad ſtomachum aliqua materia ab alijs membris eſt defluxa, tùm principiò offer abſterſivum, deindè materia evacuetur à membro mandante ſtypticis, tertiò avertatur materia clyſteribus, fomento pedum, deligatura, cucurbitulis, ſudoris provocatione, &c. Poſteà confortetur & alteretur membri mittentis intemperies, ne nova regeneretur materia. Poſtremò, membrum recipiens ſcilicet ſtomachus, confortetur ſtypticis, ne recipiat, admittatq; materiam influentem. Hæc enim materiam influentem inſpiſſant, & ora venarum adſtringunt. Talia autem ieiuno ſtomacho, & non ſtatim à cibo offerantur.

Quæ

Quæ pro confortatione ſtomachi manè offeruntur, illa nequaquàm in forma potabili exhibeantur, ſic enim ſtatim è ſtomacho delabuntur, ſed potiùs dentur in forma pulveris, aut Electuarij, aut confectionis, ſic enim diutiùs in ſtomacho perſiſtunt, perſeverantq;. 1066.

Fœtida omnia ſtomacho adverſantur, & nauſeam ac vomitum movent. Econtrà verò omnia odorifera, ſtomachum confortant. 1067.

Sacculi, qui pro confortatione ſtomachi adhibentur, debent priùs ſuffumigari cum vino aromatico lateri candenti aſperſo, vel ſacculus priùs in vinum ponatur, & una vel tribus ebullitionibus factis exprimatur, & ſtomacho imponatur. 1068.

Ad ſtomachi intemperiem ſiccam emendendam, non tàm anteriùs, quàm poſteriùs circa ſpinam dorſi humectantia medicamenta, applicantur. 1069.

Hiera ſimplex Galeni, in ſtomachi ulceribus optimè valet. Habet enim vim abſtergendi, carnem producendi, & conſolidandi.

Ne uſus frigidorum per os aſſumptorum lædat ſtomachum, refert ipſum extrinſecùs oleis calorificis inungere. 1070.

Medicamenta topica, quibus ad ſiſtendum vomitum utimur, utiliter ſuper os ſtomachi antè & retrò adminiſtrantur, ſic & in fontanela gulæ, & pulſibus brachiorum. 1071.

Olea & linimenta ſtomachum confotantia, cum lana ſuccida adminiſtrentur. 1072.

In intem-

1074. In intemperie calida ſtomachi, refrigerantibus multis, calorifica quædam admiſcenda ſunt, ne eius paucus calor omninò extinguatur. Eſt enim ſtomachus membrum nervoſum, & exangue.

1075. In ſtomachi paſſionibus, cerata præferuntur unguentis. His autem interdum penetrationis gratia parùm aceti addi ſolet.

1076. In ſtomachi affectibus, nunquàm ſolis relaxantibus, & diſcutientibus eſt utendum: ſed hic ſemper adſtringentia, quæ ſtomachi robur conſervent, admiſcenda ſunt. Idem & de epatis medicamentis intelligendum eſt.

1077. Quæ ſtomacho conferunt, illa etiam inteſtinis commoda ſunt.

1078. Antequàm inungatur ſtomachus, præmittatur fomentum, ut oleorum & unguentorum vis penetrare poſſit.

1079. Piper, Zinziber, baccas iuniperi, maſtichen, & alia quædam integra devoramus, cùm ventriculum calfacere citra epatis calidi noxam volumus. Si autem epar & longinquas partes calfacere ſtudium eſt, non modò ea leviſſimè trita ſuminus, ſed etiam liquore miſta tenuiſſimo.

1080. Quando in vomitu cholerico, ſtomacho extrinſecùs medicamenta refrigerantia adminiſtrantur, tùm cave ne Diaphragma indè refrigeretur, aut epar, & ſic horum actiones vitientur. Sæpè enim indè accidit anhelitus difficultas, & intemperies frigida in epate, id ubi contingit, ſuccurratur oleis calorificis, ut oleo de abſynthio, de ſpica, maſtichine, vel ex his fiant unguenta, aut emplaſtra.

1081. In ſtomachi apoſtematibus, fortia cathartica in principio non ſunt exhibenda, ne materia irritetur, conciteturq, & plus materiæ attrahatur, undè apoſtema augeatur. Sic pura lenitiva etiam non ſunt offerenda, ut caſsia, hæc enim mollificando & relaxando, rarefaciendoq, ſtomachum ad ſuperfluitates recipiendas, aptiorem reddunt. Si verò caſsia cum aquis ſtypticis offertur, ut cum aqua endiviæ & parum abſynthij, tùm confert.

1082. In ventriculi inflatione, cùm ventum & flatus diſcutere intendimus, non utendum eſt unguentis, quia cera poros cutis obſtruit, & oppilat, ſed potiùs utendum fomentis.

1083. Exceſsivè calida non tàm in ſtomachi, quàm aliorum membrorum imbecillitate nunquàm adhibeantur, ne tepidus calor ſic reſolvatur, & evaporet.

1084. Vnguenta & emplaſtra ſtomacho adhibita, calorifica, ubi ipſum immodicè calefecerunt, coctio corrumpitur, ructus indoroſi, ac fœtidi adſunt.

1085. Quæ ad os ſtomachi ſuperiùs confortandum adminiſtrantur, illa non tàm anteriùs, quàm poſteriùs circa decimam tertiam vertebram ſpinæ, admoveantur.

1086. Cùm lavandum eſt, ſtomachus debilis priùs, vel faccu-

vel ſacculo, vel inunctione confortetur, ne eius robur relaxetur. Calida enim & humida os ſtomachi rarefaciendo relaxant, undè vomitus.

1087. Cerata ſtomachica, tempore comeſtionis, deponantur, ne ſua adſtrictione cibum ad fundum deſcendere inhibeant.

1088. Accidit nonnunquàm à balneo nauſea, ob materiam ad os ſtomachi attractam, quæ levi vomitu rurſus evacuanda eſt.

1089. Omnia medicamenta & unguenta, quibus ſtomachus extrinſecùs in cauſa frigida debet inungi, abundè calida ſunto, quippe quæ tepida ſunt, omnia ventriculi firmitudinem diſſolvunt. Sunt autem eiuſmodi unguenta in duplici vaſe calefacienda.

1090. Quando in vomitu & ſputo ſanguinis, adſtringentia & inſpiſſantia ſanguinem adhibemus, ſemper quædam calida aperitiva admiſcenda ſunt, ut ſic adſtringentium vis ad locum affectum deducatur. Sic unguentis & emplaſtris adſtringentibus, & conglutinantibus, quædam aperitiva adduntur, ut adſtringentium vis ad interiora deferatur.

1091. In vomitibus à principio, antequàm materia eſt evacuata, nequaquàm frigida & ſtyptica offerenda ſunt. Hæc enim faciunt ad maiorem humoris immerſionem, compellendo ipſum in altum, ſeu profundum, claudendo & adſtringendo poros

ſtomachi, undè nauſea & difficultas vomitus augetur. Extrinſecùs verò adhibita medicamenta ſtyptica, non adeò nocere poſſunt, exprimunt enim & repellunt humorem immerſum in ſtomachi concavitatem. Ideò hæc non adeò nocent, ut illa quæ per os aſſumuntur. Sed quando humor non eſt immerſus in ſtomacho, tùm certè non nocet ſtyptica offerre per os; quia adſtringendo os ſuperius, ſtomachi humorem deprimendo, per inferiora depellunt, præterea etiam uniendo ſtomachum confortant.

Si omentum exciderit, neceſſariò computreſcit. 1092.

Vehemens clyſteris infuſio, vomitum ſedat. 1093.

Qui ſiti premuntur, parciùs edere, minùs laborare, vinumq; dilutum & perfrigidum bibere debent. 1094.

Sitim ſedat ſomnus. 1095.

Quibus epar calidum eſt, & ſtomachus frigidus, neceſſarium eſt, venas eorum crudis humoribus, & phlegmaticis abundare, præcipuè ſi copioſè reficiantur. Nam cruditas chyli per actionem epatis corrigi nequit. 1096.

Poſt arquatum morbum febrim oriri, periculoſum eſt. 1097.

Auriginoſi, non admodùm ventoſi. 1098.

Regio morbo laborantibus iecur durum fieri, malum. 1099.

In epatis oppilatione, ubi fortia aperitiva 1100.

exhibere cogeris, tùm cum eis lenitiva, & ipsorum calorem nonnihil hebetantia, permisceto. Quia fortia aperitiva humores exacuunt, & etiam humores adurunt, & melancholiam generant. Ideò post horum usum, lenientibus melancholiam respicientibus, uti refert.

1101. Sacculi, pro epatis confortatione, antequàm epati administrentur, priùs calefiant vapore resoluto ab aquâ eupatorij seu absynthij calenti, lateri insperſa.

1102. Quando epar ex usu balnei aërei, aut emplastrorum, supercalefactum est, quod ex siti & urina colorata constat, refrigerantia adhibeantur.

1103. Medicinæ epaticæ subtilissimè pulverisentur, sic & Diuretica, ut per angustos meatus transire possint, & in aurora offerantur.

1104. Epati nihil actu frigidum adhibeatur, sed omnia modicè calefacta, hoc est, tepidè adhibeantur, ne ex actuali frigiditate venæ adstringantur, oppilenturq;, & materia crassior & resolutioni ineptior fiat.

1105. Frequens singultus, & præter consuetudinem continuus, iecur inflammatum esse significat.

1106. Ex iecinore si pus cruentum exit, mortiferum est.

1107. Si ante septimum diem febricitanti superveniat morbus regius simul cum horrore, solvitur febris, si verò sine horrore acciderit, pernitiem denunciat.

Quibus-

Quibuscunq; iuvenibus epar calidum constipationem inducit, his potus aquæ frigidæ subvenit, præcipuè si sumatur circa principium refectionis. 1108.

Iecore malè coquente, facies, oculiq; tument. 1109.

Epar calidum sæpè est in causa ut generetur cancer, lepra, quartana, & reliquæ ægritudines melancholicæ. In epate enim calido, generantur humores adusti multi. Quare epatis intemperies in eiusmodi morbis hebetetur, ac emendetur, refrigerantibus epithematibus, inunctionibus, & cibis refrigerantibus, humectantibusq;. Humores autem assari, aduriq;, ab epatis intemperie calida, constat, ex urina intensè rubea, & ex arenulis in matulæ lateribus adhærentibus rubeis. Quando itaq; in quartana, cancro, & alijs melancholicis affectibus talis urina emingitur, certum est, hos morbos ex humorum adustione esse ortos: hìc plærunq; unà adest corporis siccitas, maciesq;, color faciei rubet, aut flavescit, & sitis adest. 1110.

Epati nequaquàm vehementer calida administrentur, ne epar immodicè rarefiat, & eius virtus resolvatur, evaporato calore nativo & spiritibus. Est enim epar aliàs membrum rarum, & facilè resolubile. Sic etiam intensè frigida detestantur, ne eius calor nativus extinguatur, undè hydrops, aut ne eveniat oppilatio. 1111.

Immodicè styptica epati applicanda non 1112.

sunt. Venæ enim per epatis substantiam dissem-
*inatæ, per se strictæ sunt, ideoq; à styptici*s *arctio-*
res fiunt, & sic facilè obstruuntur.

1113. *Vitiato epate, totius corporis color alteratur.*

1114. *Quando epati administramus emplastra*
discutientia, & resolventia materiam in eo con-
tentam, hæc enim rarefaciendo epatis substan-
tiam resolvunt, debilitantq;, ideò cum discutien-
tibus quædam styptica boni odoris, epati confe-
rentia, ut spicam, spodium, &c. commiscere debe-
mus, in parva tamen quantitate, ne resolventium
& rarefacientium virtutem seu operationem im-
pediant.

1115. *Quibus iecur aqua refertum eruperit in*
omentum, his venter aqua expletur, atq; mo-
riuntur.

1116. *Propter iecoris inflammationem singultus*
malum.

1117. *Quibus purulentum iecur aduritur, si purum*
pus effluat & album, salvi fiunt. In tunica enim
ipsis pus continetur: si verò qualis amurca pro-
fluat, intereunt.

1118. *Quibus iecur vehementer dolet, ijs febris su-*
perveniens solvit dolorem.

1119. *Si aqua intercutem quem implevit, simul*
eam omnem effudisse, mortiferum est.

1120. *Aqua intercutem, si ex acuto morbo cœpit,*
periculosa est. Neq; enim febrem solvit; sed do-
loribus torquet, atq; interficit. Oritur verò magna
ex par-

ex parte, vel ab ilibus, vel lumbis, vel à iecore.

Aqua intercus, plærunq; vitio iecinoris 1121.
oritur.

Lienis magnitudo, hydropem minatur, vel 1122.
corporis maciem.

Gingivarum & oris ulcera in hydrope, mor- 1123.
tem minantur.

Hydrops, qui iecoris apostemati supervenit, 1124.
difficulter sanatur.

Qui hydropem causat humor, si tenuis fuerit, 1125.
per sudores resolvitur, sin crassus ac densior, pa-
racentesi, aut cucurbitulis exploditur.

In hydrope detestatur venæsectio, nisi hic ob 1126.
menses retentos ortus sit, tùm vena tali secanda
est. Idem intelligatur, ubi hydrops ob retentas
hæmorrhoides ortus est.

Phlebotomia in omni hydrope detestatur, 1127.
parva tamen conceditur in tribus casibus: ut si
hydrops ortus sit, vel ob epatis apostema, vel re-
tentos menses, seu hæmorrhoides, hìc saphenæ
tundantur, vel ob magnam plethoram, à qua ca-
lor nativus suffocatur.

In hydrope, ubi paracentesi uti volueris, 1128.
aquæ parum semel evacuetur, ne immodica spiri-
tuum fiat evacuatio, undè mors. Idem intelliga-
tur de magnis apostematibus, ne semel sanies im-
moderatiùs evacuetur.

In hydrope ex causa calida orto, quæ intra 1129.
corpus offeruntur, sint temperata, hoc est, ex re-

frigerantibus & calorificis conflata. Extrinsecùs verò supra ventrem ponantur calida, & resolutiva, super epar verò refrigerantia.

1130. *In extrahendo aquam per punctura in hydrope, semper observes pulsum, hic ubi cœperit debilitari, tùm sistas & retineas aquam, & interim vaces confortationi virtutis, & rectificationi dyscrasiæ membrorum naturalium.*

1131. *Quando ascites seu hyposarca accidit, ob debilitatem attractricis renum, tùm renibus unguenta calida extrinsecùs adhibeantur, ut eorum virtus attractrix confortetur, deinde exhibeantur urinam provocantia, tandem repetantur solutiva, & deinceps rursus diuretica offerantur.*

1132. *Quando venter inferior tumet, & urina est inculpata, tùm certum est indicium per stomachum multiplicari ventositatem extendentem, & non est tympanites, quia impossibile est, hydropem fieri absq; epatis noxa.*

1133. *Aqua intercutem laborantibus exorta in corpore ulcera, non facilè sanantur.*

1134. *Hydrope detento, si aqua è venis in ventrem confluxerit, solvitur morbus.*

1135. *Quicunq; empyi aut hydropici uruntur, aut secantur, si pus aut aqua universim effluxerit, omninò moriuntur.*

1136. *Hydropicis tussis si superveniat, malum.*

1137. *Albæ pituitæ, aqua intercus supervenit.*

1138. *Paracentesis solummodò in ascite est tentanda,*

tanda, & nequaquàm in hyposarca seu tympanitide; nam hoc mortale est: item in sene, in puero, & quando adest tussis, aut ventris fluxus, aut quando æger debilis est, tùm nequaquàm paracentesi utere.

1139. *Vt vix unquàm exuit salsedinem ager, quem mare aliquando inundavit: ita corpus affectum semel gallica scabie, vix, vel unquàm ab ea perfectè sanatur.*

1140. *Febris si coniungatur cum morbo gallico, malum.*

1141. *Nota sufficientis inunctionis in morbo gallico est, cùm dentes dolere, os exulcerari, gingivæ inflari, humiditates manifestè ex ore fluere, & accidentia remittere incipiunt, hoc enim indicium est, materiam attenuatam, subtiliatamq; esse, & hìc secretum est exhibere solutivum, ut sic humores per alvum, & non per os evacuentur.*

1142. *In morbo gallico, cum pustulæ iam incipiunt apparere, natura expulsivo adiuvanda est.*

1143. *In lue venerea pustulis apparentibus, phlebotomia posthabenda est. Quando enim materia adhuc existit intra venas, sicut in principio, ad materiam minorandam phlebotomia admittitur, sed quando materia extra venas ad cutem notabiliter est expulsa, tùm improbatur. Idem de scabie & variolis etiam intelligatur.*

1144. *Curatio per lignum guaiacum, detestatur in corporibus cholericis, siccioris habitudinis, & emaciatis.*

ciatis. Indè enim cùm hecticam febrem, tùm tabem incurrunt.

1145. Suffumigio cum cinnabare in morbi gallici cura poſtremò utimur, quando de ſalute ægri deſperamus, & eo non niſi in corpore robuſto & athletico utimur. Hoc verò utendum non eſt, ſi adeſt aſthma, aut hectica, aut acuta febris, aut in valdè debilibus.

1146. Ligni guaiaci uſus deteſtatur in febrientibus, & extenuatis corporibus.

1147. Tempore inunctionis in morbo gallico, confert guttur, palatum, & os, quibuſdam convenientibus gargariſmis defendere, ne ex inunctione vehementer exulcerentur, & exhibere pillulas Cochias, ut materia ſic ad inteſtina avertatur, dirigatur.

1148. Colicorum cruciatus multò magis, quàm nephriticorum, lenientibus mitigantur clyſterijs, atq; evenit interdum, ut frigido aliquo liquore ſimul iecto, protinùs quieſcant. Nephriticis verò dato medicamento, quòd lapidem in renibus conterere poſſit, ſimul & affectum ipſum, & ſedem affectam levari contingit, cum urina enim lapillo exiſtente, à dolore liberantur.

1149. Ab ileo vomitus & ſingultus, & deſipientia & convulſio, malum.

1150. Quando, in colica ventoſa ex uſu anodynorum, dolor intenditur, augeturq;, tùm certum eſt, materiam ventoſabilem eſſe multam, quam medicamenta non poſſunt conſumere, ſed potius eam in flatus

in flatus convertunt, undè dolor intenditur. Quare hîc humorem flatus foventem diſſecare, & concoquere citra vehementem calorem, & minimè per inflantium uſum, convenit.

Quicquid in colica in clyſteribus, veſicis, em- 1151.
plaſtris, & unguentis adminiſtratur, id cum temperata caliditate applicetur, quia mordax caliditas triſtem facit ſenſationem, & ſic intendit dolorem.

Quibus magni lienes ſunt, his gingivæ malæ 1152.
ſunt, & os olet, aut ſanguis aliqua ex parte prorumpit. Quorum ſi nihil evenit, neceſſe eſt, in cruribus mala ulcera, & ex his nigræ cicatrices fiant.

Eos, quos lien malè habet, ſi tormina præ- 1153.
henderint, & hoc vel aqua intercutem, vel inteſtinorum levitas conſequatur, vix ulla medicinæ periculo ſubtrahit.

In lienis affectibus, non temerè eſt ſecanda 1154.
vena, niſi hoc ſumma exigat neceſſitas. Quia lien eſt membrum frigidum, & indè magis infrigidatur.

Ex phlebotomia ſalvatellæ ſiniſtræ manus, 1155.
in morbis ſpleneticis maiùs ſequitur iuvamentum, quàm ex phlebotomia baſilicæ ſiniſtræ.

Ad ſplenem in ſcirrhum induratum, ſan- 1156.
guinis detractio commoda eſt, quæ inter parvum ſiniſtræ manus digitum, & eum qui medio proximus, facta ſit.

Lienoſis difficultas inteſtinorum ſuperveni- 1157.
ens, bono eſt.

Eadem

1158. Eadem ferè est curatio in lienis affectibus, quæ in epatis affectibus, nisi quod illic fortiora requirantur medicamenta.

1159. Lienis excrementa, solùm per alvum sunt evacuanda, non per sudorem, sicut materiæ epatis.

1160. Lien acetosis delectatur.

1161. In lienis affectibus, nunquàm nudis, aut fortioribus utamur resolutivis, ne induretur, sed semper cum resolutivis mollificativa permisceantur.

1162. Lieni nihil actu frigidum imponatur, sed omnia quæ extrinsecùs administrantur, tepido calore prædita sint.

1163. Lien indiget attenuantibus pharmacis, citra manifestam tamen caliditatem, ne vehementiùs, succus crassus in ipso obturatus, incrassescat.

1164. Nonnunquàm accidit vomitus cholericus, æruginosus, prasinusq; in colica, ob dolores, vigilias, & medicinas calidas administratas. Indè enim cholera augetur, aduritur, quæ, cùm per alvum non potest excerni, regurgitat ad stomachum, undè vomitus.

1165. In dolore ventoso, ut in colica flatuosa, nequaquàm fortia anodyna calida admovenda sunt, antequàm materia, seu clystere, vel lenitivo imminuta sit, sic enim dolor intenditur, materia crassa frigida inflatus conversa.

1166. Ne pituitosæ materiæ calido dissolutæ, à stomacho ad renes, & ad vicinas partes ducantur, priusquàm exhibeas lapides comminuentia, cum

cassia, oleoq; amygdalarum dulcium, ventrem lenire oportet.

Etsi, quæ crassos glutinososq; succos attenuant, calculosis conducunt: ijs tamen quæ valdè calefaciunt dari, nequaquàm convenit. 1167.

Si is, quem calculus infestat obesus est, huic tenuem victum audacter iniungere licet. 1168.

Nephritici ab initio dilutas, pluresq; urinas reddunt, sequentibus verò diebus crassi aliquid in ipsis residere videtur. 1169.

Renum & vesicæ vitia in senibus, difficulter curantur. 1170.

Si, quibus è renibus laborantibus, dolores circa spinæ musculos fiant, siquidem ad loca exteriora sentiantur, extrinsecùs abscessum fore expecta: si verò ad interiora magis vergeant, abscessum etiam intrinsecùs futurum, potiùs sperandum est. 1171.

In renum ac vesicæ affectibus, electuaria lenitiva meliùs competunt, quàm haustus lenitivi. Electuaria enim non sic ad vias urinæ properant, ut potiones. Sic flores cassiæ probantur: sed vulgaris cassia extracta, quæ communiter in officinis servatur, non probatur. Est enim diuretica. 1172.

Enemata in renum affectibus non in magna quantitate infundantur, ne intestina repleta distentaq;, renes comprimant, nec etiam in se multùm salis habeant. 1173.

In renum

1174. *In renum ulceribus, dùm consolidativis vteris, tertio quoq; die lavativam potionem exhibeas, vt si fortè aliqua materia eò defluxisset, non faciat obstructionem, & à calore renum inspissata & indurata, convertatur in calculum.*

1175. *Quidam per circuitus quosdam sanguinem è renibus excernunt, simili modo ut ex hæmorrhoidibus, & talis sanguis absq; dolore excernitur, sed quando intempestivè sistitur, gravitas accidit, nonnunquàm etiam vertigo, delirium, hydrops, &c.*

1176. *Nonnunquàm post curationem calculi, sequitur dolor iuncturarum, propter usum diureticorum in curatione calculi adhibitorum.* Humores enim indè attenuati & liquati, *ad iuncturas defluunt, undè podagra, vel arthritis.*

1177. *Nulla medicamenta lapidem frangentia, sunt intra corpus exhibenda, nisi priùs materia circa primas vias sit digesta, & evacuata medicamentis lenitivis.*

1178. *Exectionem calculi sæpè succedit aut immodicum sanguinis profluvium, arteria scilicet aliqua dissecta, aut frequens urinæ fluxus, quòd nervosa pars vesicæ sit vulnerata, quæ non consolidatur, aut sterilitas dissectis vasis spermaticis, aut dolor vehemens, aut apostema, aut sanguinis in vesica coagulatio.*

1179. *In calculo & apostemate renum, è directo renis, accidit sæpè pedis obdormitatio, seu stupor, eò quòd*

eò quòd nervis ad tibias & pedes tendentibus, mala qualitas sit communicata, aut quòd nervi comprimantur, undè obstructio attenuatoria, sic ut spiritus minimè liberè ad pedes transire possint.

1180. *In calculo, dolore instante, nequaquàm fortia lithontriba & diuretica exhibenda sunt, sic enim intenditur, augeturq; dolor, sed quæ dolorem mitigent, & clysteres mollificantes, injiciantur.*

1181. *In calculi dolore detestatur medicamenta adhibere extrinsecùs exiccantia, ut sacculos exiccativos ex milio factos, item pannos calidos. Sic enim calculus fit durior, & meatus urinales arctiores fiunt, ob continuam exiccationem. Hìc adhibeantur resolventia cum mollificantibus permixta, ut materia crassa sic humectata, possit resolvi, & ut viæ urinæ ampliores reddantur ab humectantibus, mollificantibusq;. Si enim nuda resolutiva applicantur, tùm subtilibus partibus resolutis, materia crassa in calculum convertitur.*

1182. *Quando in renum, seu viarum urinæ exulceratione exhibemus consolidantia, tùm cum eis aliqua diuretica, in pauca tamen quantitate, ut semen feniculi, petroselini, dauci, &c. sunt commiscenda, quæ medicamenta consolidantia eò, ad vias scilicet urinæ, deducant. Quia eiusmodi medicamenta per se sunt difficilis transitus ad urinæ vias. Quando verò dolor est intensus,*

intensus, tùm his narcotica quædam admiscenda sunt.

1183. Vesicæ calculi pueritiam: renum verò senectutem, magis infestant.

1184. Quibus in meatu urinario nascitur tuberculum, suppurato eo & rupto, solutio.

1185. In consolidatione ulcerum colli vesicæ, ob meatus seminis consolidatos, sæpè succedit sterilitas, hic enim in cöeundo nihil seminis excernitur.

1186. Curatio herniæ per incisionem, non est molienda in laborantibus valida tussi, in reconvalescentibus, in senibus excedentibus annum sexagesimum, nec in tempore magni frigoris, aut magni æstus.

1187. Difficultatem urinæ, phlebotomia solvit: secare verò interiores.

1188. Stranguriam & dysuriam thorexis, & venæsectio solvit. Incidendæ autem sunt interiores.

1189. Quibus à stranguria Ileus supervenerit, intra septem dies moriuntur, nisi febri superveniente copiosa urina fluxerit.

1190. Quæ urinam provocant, illa etiam menses provocant.

1191. Quando in sanguinis mictu extrinsecùs usus es unguentis, tùm omnibus diebus in sero, panno lineo in aceto calido infuso, abstergantur & mundificentur partes inunctæ, ne viscositate olei, & cerâ,

cerâ, pororum fiat clausio, & sic per accidens calor intrinsecùs augeatur.

1192. Vrina supprimitur, ubi lotium ultra modum in vesica detinetur, undè vesica ita repletur ac distenditur, ut minimè contrahi possit. Idem accidit, ubi intestina stercoribus immodicè sunt referta, undè alvus cohibetur. Idem etiam contingit, ubi stomachus immodicè cibo est repletus, tales strangulari & suffocari videntur.

1193. A iecoris constrictione, alvi fluor factus, aperitivis de oppilantibus & venæ basilicæ sectione curatur.

1194. Alvi fluxum patientes, iecore crassis succis obstructo, & digestrice læsa, calidis dissolventibus egent. Quibus verò retentrix debilis fit, his conducunt infrigidantia.

1195. Post alvi longam resolutionem, tormina, posthæc intestinorum levitas oritur.

1196. In fluxionibus alvi, excrementorum non in deteriora facta mutatio, iuvat.

1197. Longo alvi profluvio laboranti, sponte vomitus superveniens, morbum solvit.

1198. A diarrhæa, dysenteria.

1199. In diuturna levitate intestinorum, si ructus acidus superveniat, qui priùs non extiterit, bonum est signum.

1200. In longis intestinorum difficultatibus cibi fastidium, malum, & cum febre peius.

1201. *In omni ventris profluvio, quando virtus debilis est, morbusq; sævit, ac syncopem minatur, tùm postĥabita evacuatione fluxus sistatur, ne virtus prosternatur. Sed posteà restaurata virtute, ut post quinque vel sex dies, repetatur evacuatio stypticis, ut mala materia retenta evacuetur, ne sit causa recidivæ.*

1202. *Quando profluvia ventris intempestivè sistuntur, succedit nonnunquàm phrenitis, lethargus, parotides, aut periculosi abscessus, arthritis, iuncturarum dolor, aut angina.*

1203. *Quando ventris adest fluxus immodicus, tùm tota tua intentio sit, humores commotos reddere quietos & immobiles, refrigerando scilicet, & inspissando, ac adstringendo meatus, per quos materia ad stomachum fluit.*

1204. *In ventris fluxibus, si vis, quòd Rhabarbarum minùs debeat evacuare, & magis adstringere, tùm assetur. Si verò vis ipsum plùs evacuare, quàm adstringere, tùm non assetur.*

1205. *Dysenteria, si ab atra bile incipiat, exitiosa.*

1206. *Si dysenteria laboranti veluti carunculæ dejiciantur, mortiferum.*

1207. *Dysenteriæ supervenit lienteria.*

1208. *In dysenteria, ubi clysteres consolidantes injicere est animus, tùm nequaquàm imponantur olea & pinguedines. Quia hæc omnia consolidationem fieri, prohibent.*

In ventris

1209. *In ventris profluvijs & in dysenteria, inunctiones & fomenta quæ adhibentur, non sint multùm calida, sed tantùm tepida.*

1210. *In dysenteria intestinali, semper quoq; habeas respectum ad epar, quia dysenteria intestinalis sæpè coniungitur cum fluxu epatico, quòd multos decipit.*

1211. *Medicamentis adstringentibus in dysenteria, urinam cientia semper sunt admiscenda, ut sic materia per vias avertatur urinæ. Si hoc non fit, periculum est, ne materia, via adstringentibus præclusa, regurgitet ad epar, & efficiat hydropem, aut ad pedes, & fiat podagra. In summa omnia diuretica tàm calida, quàm frigida, sistunt ventrem, eò quòd multiplicent urinam.*

1212. *In forti dolore ventris, partium extremarum frigiditas, malum.*

1213. *Qui colicis doloribus sæpè laborant, ij nervorum resolutionem incurrunt.*

1214. *Iliacus morbus, nisi resolvatur intra diem septimum, lethalis est.*

1215. *Chronica intestinorum exulceratio, cuiusvis humoris fuerit, clysteribus absterśivis una vice injectis, & altera constrictivis, eget.*

1216. *Iuvenes cholerici in vijs urinalibus ulceratis fluxum patientes, à potu vini, & maximè acuti, abstinere debent.*

1217. *Quibus elata hypochondria murmurant, lumborum superveniente dolore, alvus humectatur, nisi inferne flatus erumpant, aut urinæ multitudo prodeat, atq; hæc in febribus.*

1118. *Quibus ad hypochondrium dolor est sine inflammatione, ijs febris superveniens dolorem solvit.*

1219. *Dolores ventris sublimes, leviores: non sublimes, fortiores.*

1220. *Si quod gracile intestinum perfectum sit, non coalescit.*

1221. *Quibus in iuventute alvus est humecta, ijs in senectute siccatur: Quibus contrà sicca adstrictaq; iuvenibus fuit, ijs senibus humecta, laxaq; fit.*

1222. *Quibus alvus est humida, iuventam quidem agunt facilius, quàm qui eandem siccam habent, sed senectute difficilius defunguntur. Ipsis, siquidem senescentibus, ferè reficcatur.*

1223. *Alvo constricta deorsum purgans pharmacum offerre, priusquàm solvatur mollitivo enemate, sive suppositorio, rationi disconvenit.*

1224. *Brassica subcruda alvum mollit, biscocta stringit.*

1225. *Assuefactio simplicis suppositorij, vel clysteris, in illis, qui à constipatione gravantur quotidiana, non offendit naturam.*

1226. *Alvus ex toto suppressa, malum.*

1227. *Medicinæ alvi constrictivæ, antequàm ministrentur, modicùm sunt adurendæ.*

Iuvenes

Iuvenes qui à fluxu cholerico molestantur, 1228.
& maximè in æstate, copiosus potus aquæ frigidæ liberat, si sumatur urgente siti, præcipuè circa refectionis principium.

Melancholicis, & nephriticis hæmorrhoides 1229.
supervenientes, bono sunt.

Diuturnas curanti hæmorrhoides, nisi una 1230.
quæpiam servetur, periculum aquæ intercutis, vel tabis impendet.

In tenesmo, omnia calidè actu admini- 1231.
strentur, quia frigida vehementer nocent musculo ani.

Intensè frigida, nequaquàm testiculis admi- 1232.
nistrentur. Habent enim hi colligantiam cum corde, & alijs membris, & citò alterantur.

XIIII.

De morbis mulierum.

Suffitus aromatum muliebria educit. Ad 1233.
alia verò multa utilis esset, nisi capitis ingeneraret gravitatem.

Mulier in utero ferens secta vena, abortit, 1234.
eoq; magis, si sit fœtus grandior.

Matrix fœtus concipere, & nutrire concu- 1235.
piscens, si diu sine fructu remaneat, privetur q; desiderijs, circa viscera sese movendo, graviter molestat mulieres.

1236. *Mulieri gravidæ ſine modo fuſa alvus, elidere fœtum poteſt.*

1237. *Si mulieri lac ex mammis proſilit, imbecillum eſt, quod intus gerit. Duræ verò mammæ, ſanum illud eſſe teſtantur.*

1238. *Mulier ſi ex partu cum febri, vehementibus & aſſiduis capitis doloribus, premitur, in periculo mortis eſt.*

1239. *Mulieri gravidæ, ſi ſubitò mammæ emarcuerint, abortus periculum eſt.*

1240. *Quæ neq; peperit, neq; gravida eſt, ſi lac habet, menſtrua ſuppreſſa eſſe indicium eſt.*

1241. *Mulieres quæ in navibus pariunt, mutos edunt.*

1242. *Prima pares, & quæ rariùs pariunt, plurimùm in partu & puerperio laborant, quæ verò crebriùs, pariunt minùs.*

1243. *Saltus in primis ſeptem diebus perimit ſemen, & eÿcit.*

1244. *Fœmina cùm concepit, menſes non defluunt, ſiquidem fœtus ſanus futurus eſt, præterquàm puſillum, quibuſdam primo menſe.*

1245. *Sternutamenta partum adiuvant, conceptum verò expellunt.*

1246. *Prægnantibus teneſmus, lethalis eſt.*

1247. *Ebrietas conceptum inhibet.*

1248. *Vulvæ ſtrangulationes, quæ retardatis menſibus fiunt, minoris ſunt periculi, quàm quæ retento genitali ſemine accidunt.*

Si gravi-

Si gravidis ubera emoriuntur, abortus imminet. 1249.

Fœtus humidi in matricis ægritudinibus noxÿ ſunt. 1250.

Mulierum nonnullæ omninò ſteriles ſunt, aliæ mutatis coniugÿs ſterilitatem exuunt, nonnullæ tantùm ſemel, quædam autem mares tantùm, & aliæ fœminas pariunt. 1251.

Mulieris vulvæ collum conſtrictum ſi fuerit abſq; duritie, econcepit: ſi verò cum duritie, ſtrictum reperitur ab obſtetrice, uterum pati demonſtrat. 1252.

Mulieres candidam faciem habentes, & quæ ad plumbi colorem declinant, frigidas & lubricas habent matrices, ob id rarò concipiunt. Albæ autem rubro colore perfuſæ, ſæpiùs. 1253.

Paſſiones animi vehementes, aut labores corporis fortes, alvi fluor, vomituſvè, aut venarum ſectio, repletio ſuperflua ſive inanitio, coitus nimius, balneumvè calidum, hæc prægnantes abortire cogunt. 1254.

Trochiſcorum galliæ moſchatæ pulvis, cum albo vino datus, parturientibus difficilem partum accelerat, fœtum quoq; mortuum, & ſecundinam educit. 1255.

Sanguineæ mulieres in prima Lunæ quadra, ſuos menſes patiuntur, in ſecunda biliosæ, quibus atra bilis abundat in tertia, & in quarta, pituitoſæ. 1256.

1257. *Menſtruis deficientibus ſanguis è naribus fluens, bonum.*

1258. *Quibus fœminis menſtrua non proveniunt, neceſſe eſt capitis acerbiſimi dolores ſint, vel quælibet alia pars morbo infeſtetur.*

1259. *Si mulier à partu vehementer dolores habet, neq; præterea ſigna mala ſunt, circa vigeſimum diem, aut ſanguis per nares erumpit, aut inferioribus partibus aliquid abſcedit.*

1260. *Menſtruorum retentio, frequentes morbos gignit, conceptum impedit, venas implet atq; diſtendit, veſicam premit, urinam prohibet, dolorem lumborum, & ſuffocationem excitat, coxendicem moleſtat, interdum putreſcit, & ſuppurat.*

1261. *Mulier ubi conceperit, menſes non defluunt.*

1262. *A menſtruis repurgatæ, concipiunt facilimè.*

1263. *Mammis cucurbitula impoſita, mulierum menſtrua ſiſtit.*

1264. *Quibus menſes in totum præmaturè ſubſiſtunt, citiùs moriuntur.*

1265. *Mulierem gravidam morbo quopiam acuto corripi, pernicioſum.*

1266. *Mulieri ſanguinem evomenti, menſtruis erumpentibus, ſolutio fit.*

1267. *Mulieri, menſtruis præter naturam deficientibus, ſanguis è naribus profluens, bono eſt.*

Mulieri

Mulieri hyſtericæ, aut difficulter parienti, 1268. *ſternutamentum ſuperveniens, bonum.*

Mulieri menſes decolores, nec eodem ſemper 1269. *modo & tempore prodeuntes, purgationem indicant eſſe neceſſariam.*

Mulieri geminos ferenti, ſi altera mamma 1270. *extenuetur, alterum abortum edit: Et ſiquidem dextra mamma extenuata eſt, marem, ſi verò ſiniſtra, fœminam abortione excludit.*

Quibus in mammis ſanguis colligitur, furo- 1271. *rem ſignificat.*

Si ſcire velis an mulier conceperit, dormi- 1272. *turæ aquam mulſam potui dato, & ſi ventris tormina patiatur, concepit: ſin minus, non concepit.*

Mulier gravida, ſi marem gerit, coloratior 1273. *eſt, ſi fœminam, decolor.*

Si prægnanti in utero fiat eryſipelas, perni- 1274. *cioſum eſt.*

Quæ præter naturam tenues uterum gerunt, 1275. *abortiunt, donec habitiores evaſerunt.*

Quæ verò mediocriter corpulentæ, abortum 1276. *faciunt, ſecundo menſe aut tertio, ſine occaſione manifeſta, ijs cotyledones lentoris ſunt plenæ, nec præ pondere fœtum continere poſſunt, ſed abruptis decidit.*

Quæ præter naturam craſſæ non concipiunt, 1277. *ijs uteri os ab omento comprimitur. Itaq; gravidari, donec extenuentur, nequeunt.*

1278. *Si qua parte uterus coxæ adiacet suppuraverit, emmotis medicamentis curetur necesse est.*

1279. *Mares dextra uteri parte, fœminæ sinistra magis gestantur.*

1280. *Ad secundas deturbandas sternutatorio immisso, nares & os, manu obtura.*

1281. *Mulieri, si placet menstrua sistere, cucurbitulam quàm maximam ad mammas appone.*

1282. *Quæ ventrem ferunt, ijs uteri os connivet.*

1283. *Quæ fœtum sunt perdituræ, ijs mammæ extenuantur. Contrà verò duræ si fiant, dolor aut mammas, aut coxas, aut oculos, aut genua fatigabit, nec abortiunt.*

1284. *Quibus os uteri durum est, ijs arcletur est necesse.*

1285. *Quæ gestantes uterum febribus corripiuntur, aut vehementer sine evidente causa extenuantur, eæ difficulter & cum periculo pariunt, aut abortientes periclitantur.*

1286. *Si muliebri profluvio convulsio aut animi defectus superveniat, malo est.*

1287. *Menstruis abundantibus morbi eveniunt, & subsidentibus accidunt ab utero morbi.*

1288. *Si mulier non concipit, & scire placet an sit conceptura, veste præligatam, & undiq; obvolutam subter suffito: ac si odor corpus pervadere videtur, ad nares & os usq;, non sua culpa sterilem esse scito.*

Si præ-

1289. *Si prægnanti purgationes menstruæ cursum suum teneant, bene valere fœtum, est impossibile.*

1290. *Si mulieri purgationes non prodeant, neq; horrore, neq; febre superveniente, cibiq; fastidium accidat, prægnantem esse putato.*

1291. *Quæ frigidos & densos locos habent, utero non concipiunt, & quæ præhumidos habent, gravidari nequeunt: Extinguitur enim in ipsis genitura. Et quæ ficciores & æstuosos: nam alimenti defectu semen corrumpitur. Quæ verò ex utraq; oppositione moderatam nactæ sunt locorum temperationem, eæ fœcunditate valent.*

1292. *Par est de maribus ratio. Aut enim propter corporis raritatem spiritus foràs dissipatur, ita ut genituram eiaculari nequeat: aut propter densitatem humor foràs non prosilit, aut propter frigiditatem non incenditur, ut eò loci coacervari possit: aut propter caliditatem hoc idem ipsum usu venit.*

1293. *Mulier podagra non laborat, nisi ipsam menstrua defecerint.*

1294. *Si prægnanti tenesmus supervenerit, abortus est causa.*

1295. *Mulier non fit amphidextra.*

1296. *Post quadragesimum quintum annum nequaquàm menses provocandi sunt.*

1297. *Quando menses retenti sunt ob sanguinem crassum, ab excessiva caliditate, scilicet epatis, inspissatum*

inſpiſſatum & aſſatum, tùm levibus utere diureticis, cum refrigerantibus & humectantibus permixtis. Si enim calidioribus uteris, ſanguis fit craßior partibus ſubtilioribus reſolutis. Hìc etiam refert choleram aduſtiorem foventem cum infuſione Rhabarbari evacuare.

1298. *Menſes provocantia, tempore motus menſtruorum, exhibenda ſunt, ut natura in ſuis motibus iuvetur. Motum verò naturæ adeſſe, conſtat ex dentium & capitis dolore, & membrorum gravitate.*

1299. *In menſium retentione, ſi corpus eſt plethoricum, tùm principiò mediana ſecetur, & parum ſanguinis mittatur, ad plenitudinem ſolùm minuendam, poſteà vena tali aperiatur.*

1300. *In retentis menſibus vena tali ſecetur, & parum ſanguinis ſemel extrahatur, ut ſic ſanguis aſſueſcat petere, & defluere ad inferiora.*

1301. *Quæ menſes provocant, illa provocant etiam hæmorrhoides.*

1302. *Menſium provocatio deteſtatur in corporibus emaciatis cum diureticis. Hìc enim ſanguis eſt paucus. Idem intelligatur, ubi ſanguis menſtruus in longis ægritudinibus non promanat. Hìc potius reſumptiva offerantur, adhibeanturq;, ne hectica ſuccedat.*

1303. *In reconvaleſcentibus ex morbo chronico, nequaquàm menſes provocentur.*

Quando

Quando menſes ſeu hæmorrhoides plùs iuſto fluxerint, vel periodum acceleraverint, ſignificat corpus evacuatione ſubtilium humorum, acutorum calidorumq;, indigere. Si verò reſtrictæ fuerint, vel periodum tardaverint, ſignificat corpus indigere craſſorum humorum, frigidorumq;, ut pituitæ, vel melancholiæ, evacuatione. 1304.

Prægnantes mulieres, tutò & abſq; diſcrimine purgamus caſſia præparata, ne flatus excitet, & Rhabarbaro. Hoc enim habet vim adſtringendi, & confortandi, ideò à purgatione fœtum in utero corroborat, & confirmat. Hæc medicamenta præterea non agitant, unà utero gerentes ex ſpontaneis ſuis vomitibus, quos habent, primis menſibus, magis perturbantur, quàm ex his evacuationibus. 1305.

Mulieres, quibus menſes adſunt, purgandæ non ſunt. 1306.

In vomitu ſeu ſputo ſanguinis, ob retentos menſes, nequaquàm ſtyptica offeras, ſed ſanguinem ad pectus fluentem, avertas ad interiora, ut pedum fomento, & deligatura, ſic phlebotomia venarum tali, aut poplitis, aut ſcarificatione crurum, ſic fiant balnea & inſeßiones ex levibus menſes provocantibus, ſed hæc nequaquàm ſtomachum & pectus attingant. Sic ſuffitibus & peſſarijs provocentur menſes, ſi his nihil promoveris, per os exhibeto levia medicamenta ſanguinem attenuantia, & venas aperientia. 1307.

In ma-

1308. *In matricis procidentia, nequaquàm excessivè fœtidæ suffumigationes infernè ad matricem administrentur, præsertim in delicatis mulieribus. Ex horum enim usu sæpè accidit syncope, propter temperamenti spiritus alterationem. Præterea percepto nocumento à virtute sensitiva, vehementer movetur matrix, ex quo vehementi motu vehemens fit ligamentorum extensio, undè intensus dolor. Ad hæc eiusmodi suffumigationes calidæ sunt, undè humiditates in matrice existentes, in flatus convertuntur, hinc matricis fit destensio, undè dolor. Ideò à levioribus suffitibus incipiendum est.*

1309. *Menses non sunt provocandi in extenuatis, & in reconvalescentibus ex longo morbo, quia in talibus sanguis est paucus, eoq; natura pro sui conservatione indiget. Si itaq; menses provocare intendis, tùm succedit hectica, corpore immodicè exiccato. Sic in laboriosis puellis, ut sunt rusticanæ, in quibus magna fit humorum resolutio, nequaquàm menses provocare intendas.*

1310. *Accidit nonnunquàm in mulieribus, quibus menses retenti sunt, vomitus materiæ phlegmaticæ crudæ, ob frigidam stomachi intemperiem, hîc nequaquàm menses provocare præsumas, donec stomachi vitium sit emendatum, ne crudi humores ad venas traducantur, undè ipsa obstructio augetur. Ideò principiò leve digestivum offer, ut oxymel simplex cum melle rosato colato, postèà*

pillulas leves, ut de hiera simplici offerto, tandem stomachum oleo nardino inungito, ut eius intemperies emendetur. Quando itaq; stomachus ita est curatus, tùm quæ menses provocent, exhibeto, tamen priùs, ut materia præparata sit attenuantibus & dissecantibus, curato.

Suffocatio matricis nonnunquàm accidit, 1311.
tùm sanguinis eruptio ab utero repentè sistitur.

In paroxysmo suffocationis matricis, nequa- 1312.
quàm aspergatur in faciem ægræ vinum, aut aqua rosacea, nequè etiam ægra bibat vinum.

Venæsectio detestatur in suffocatione matri- 1313.
cis, ex retento sperm ate orta. Sic enim periculum est, ne venenosa materia intra venas retrahatur, ut sanguis totus inficiatur.

Mulieres cupientes prolem, cùm utuntur 1314.
diæta calida, & administrant matrici res calidas, corripiuntur interdum icteritia.

Quando suffumigium ad vulvam in provo- 1315.
candis mensibus præparare intendis, tùm circumquaq; probè contegatur mulier, ne odor & fumi ad nares pertingant, & capitis gravitatem inducant.

Quando menses repentè sistuntur, accidit 1316.
matricis suffocatio.

Menses retenti sæpè regurgitant ad epar, & 1317.
obstruunt ipsum, & sunt causa hydropis.

Mulieribus, in quibus menses retenti sunt, 1318.
accidit nonnunquàm sanguinis sputum, vomitus sangui-

ſanguineus, fluxus ſanguinis alvi, hæmorrhoidarum fluxus, ſanguinis narium fluxus, aut fluxus ſanguinis per aures, materia ad ſuperiora converſa.

1319. *Menſes ſupprimuntur orificijs venarum, ad matricem pertinentium, obſtructis, vel à craſſo & lento ſucco, vel à pinguedine comprimente vaſa, vel à cicatrice ab ulcere relicta, aut panniculo ori interiori prætenſo, hicq; menſes ſuperiora petunt, & puellæ ſuffocantur.*

1320. *Retinentur etiam menſes, vel ob ſanguinis inopiam, ut in adurentibus & chronicis febribus, ac labore emaciatis mulieribus, vel ob ſanguinem aliò averſum, ut in nutricibus, & puſtulis in cute enatis, vel ob calorem intenſum, adurentem & inſpiſſantem ſanguinem.*

1321. *Virginibus quibuſdam, ubi inſtat tempus, quo debent menſes profluere, dolores vehementes accidunt, quod inſinuat quandam eſſe obſtructionem, & parùm menſes evacuari.*

1322. *Prægnantibus mulieribus accidit epilepſia, ob materiam pravam retentam. Partu verò ſuperveniente ſolvitur, materiebus malis evacuatis.*

1423. *Viduæ ſanguineæ, plurimo abundantes ſanguine ac ſpermate, matricem & teſticulos habent calidos, ſemen detentum adurentes, vaporesq; indè ad cerebri menynges delati, efficiunt maniam.*

De

XV.

De morbis puerorum.

Epilepſia laborantes pueros cùm loci, vi- 1324.
ctusq;, tùm maximè ætatis mutatio, liberat.

Epilepſia ante pubertatem amotionem reci- 1325.
pit: poſt viceſimum verò quintum annum, ferè comitatur ad uſq; mortem.

Puer podagra non laborat, ante veneris 1326.
uſum.

Qui gibbi ex aſthmate, aut tuſsi ante puber- 1327.
tatem fiunt, ſtatim moriuntur.

Pueri non ſunt fame & inedia moleſtandi, 1328.
ne trucidentur ob magnam reſolutionem, aut ne cadant in hecticam.

In morbillis & variolis, nequaquàm exhi- 1329.
beantur medicamenta purgatoria, ne materia acuta ad centrum retrahatur, avertaturq;, & accidat inteſtinorum exulceratio, & lethalis dyſenteria.

Homo poteſt bis, ter, aut quater morbillis 1330.
ac variolis affici.

Sexagenarius poteſt affici variolis ac mor- 1331.
billis.

Variolæ ubi fuerint egreſſæ, vena nequa- 1332.
quàm eſt ſecanda, ne ad intra venus retrabantur.

Variolæ ubi iam perfectè egreſſæ ſunt, & 1333.

iam matûræ ſunt, acu aurea aperiantur, & ſanies continuò cum coto leviter exiccetur. Diutiùs enim ſanies detenta corrodit carnem ſubiectam, & fiunt cicatrices fœdæ.

1334. *Quando variolæ difficulter exeunt, & tardè, hoc indicat materiam eſſe craſſam. Ideò hæc attenuantibus eſt attenuanda, & cutis oppilatio diſſecantibus reſeranda, ut materia ſic poſſit ad expulſionem præparari, & expelli.*

1335. *Variolæ & morbilli cùm incipiunt apparere, tùm debes iuvare naturam, ad expellendam materiam ad ſuperficiem cutis.*

1336. *In variolis nequaquàm refrigerantia ſtyptica extrinſecùs adminiſtrentur, ne materia repellatur ad interiora, & accidat lethalis dyſenteria, aut difficultas anhelitus. Sic etiam olei uſus deteſtatur, quia oleum ſua viſcoſitate oppilat poros cutis, undè variolarum exitus inhibetur.*

1337. *Corallia rubea infantum lactantium collo appenſa, ad os uſq; ventriculi devenientia, lactis vomitum prohibent, roborantq; horum digeſtivam.*

1338. *Infantes quamdiu dentes non habent, vagiunt, ubi duos aut tres balbutiunt, ubi completos loquuntur.*

APHO

APHORISMORVM MEDICINALIVM, SECTIO OCTAVA.

I.

De vulnere.

CVm Medicus putredinem à vulnere non ejicit, in loco putredinis ſana caro nequaquàm poteſt coaleſcere. 1.

Satiùs eſt, vulnus omninò relinquere, quàm ei cum gravi totiùs corporis perniicie mederi. 2.

Eryſipelatoſa vulnera, pharmaco purgativo totius corporis indigent. 3.

Auferre putredinem, eſt cauſa ſine qua in vulnere caro generari nequit, donec quidem putredo fuerit in ipſo, ſana caro nullatenus orietur. 4.

Carnem ſanam, non eſt poſsibile, gigni, niſi caro vulneris ſuper quam eſt generanda, temperata ſit. 5.

Quoniam curatio eſt deperditi reſtauratio, concava vulnera carne, cuius ſanguis materia præcipua dicitur, replenda ſunt. 6.

Quantò magis vulnera humida fuerint, tantò magis ſiccis indigent. 7.

8. *Omnes, quotquot in thorace vulnerati sunt, iniectam per vulnus aquam mulsam illicò expuere solent.*

9. *In quibuscunq; vulneribus membri substantia non deperditur, sola æquatio, & conglutinatio restaurat sanitatem.*

10. *Labra vulneris conglutinantur, si nihil alienum intercidat, & naturalis membri complexio fuerit custodita.*

11. *In magnis vulneribus ligatura nequit absq; sutura labra vulneris contiguata conservare.*

12. *Filum sericum labra distincta nodans in moderata distantia, suturam efficit meliorem.*

13. *Festina consolidatio, vulnerum potissimùm, causatur à sanguine paucæ aquositatis, quapropter aquosos potus vulneratos oportet cavere.*

14. *In vulneratis phlegmaticis, & in hyeme, mel vulnerarijs potionibus coniungitur.*

15. *Sicut vulneratis hæmorrhagiam passis, merum præcipuè convenit: sic pronis ad eam denegatur omne vinum, & quicquid acuit sanguinem, vel stimulat ebullire.*

16. *Arteria vulnerata quantò plus dilatatur, plus sanguinis evomit, quocirca necesse est, ut eius dilatatio, quantùm possibile fuerit, remittatur.*

17. *Latitudinalis arteriæ sectio promptius solidatur, quàm apertura secundum longitudinem.*

18. *Modica venæ pulsatilis aperitura, in corpore molli & humido, ut puerili, & muliebri, sanari*

potest. Magna verò vix, aut nunquàm, in sicco & calido corpore.

19. *Recentia vulnera cum aqua ardente lota, sanationis effectum citissimè consequuntur.*

20. *Alimentum attractum & incorporatum, in saniem convertitur, ideoq; vulneratis superfluitas alimenti obest.*

21. *Sicut aquositati debentur exiccativa, sic vulnera saniosa mundificantibus indigent medicinis.*

22. *Superfluitas vulneris nisi vertatur in saniem, vel conglobata, generat apostema, vel spasmum accelerabit.*

23. *Vbi caput vulneratum, delirium metuendum est.*

24. *In vulnere nervorum, contractiones exitiales sunt, & quæ ex arefaciente causa oriuntur.*

25. *Sanies & maximè in vulneribus concavis, deperditæ carnis substantiam prohibet generari.*

26. *Si in magnis vulneribus & pravis tumor non appareat, ingens malum.*

27. *Medicamenta nervis vulneratis nequaquàm frigida administrentur. Frigus enim nervis inimicum. Omnia itaq; calidè, etiam ipsæ fasciæ administrentur.*

28. *Vulnera arcta ampliamus radice gentiana, vel spongia vehementer compressa & intorta.*

29. *Digestivis utimur in vulneribus & ulceribus brevi tempore, scilicet vix tribus vel quatuor die-*

bus, hoc est, donec sanies satis bona & in debita quantitate generata fuerit, tùm amplius non est utendum digestivis, ne ulcus putridum, seu sordidum fiat.

30. Vulnus factum esse ab instrumento seu sagitta veneno infecta, constat ex loci tumefactione tendente ad lividitatem & nigredinem.

31. In defensivis vulnerum pectoris, acetum est omittendum.

32. Omne vulnus contusum, necesse est putrefieri, & in saniem converti.

33. Vbi dolor intensus vulnera affligit, certum est, nervos in profundo vulneris existentes, aut panniculum, qui ossa ambit, esse tactum, & vulneratum.

34. Localia in vulneribus nimium quàm oportet calefeciisse, constat ex vulneris circuitu, rubedine, pruritu, ac tenui sanie. Medicamentum verò nimium refrigerasse, indè constat, quòd vulnus frigeat, albescat cum crassa sanie.

II.

De Vlcere.

35. Vlcerum, cæterorumq; morborum continuitatem, aut eorum diuturnitatem facit materiæ successus, cuius cura est ablatio.

36. Omne ulcus, sive sponte, sive ex accidenti factum, exiccari desiderat, medicamento non aspero, præ-

ro, præterquàm ubi malignum, & cum vehementi putredine fuerit.

37. A membro ulcerato malam dyscrasiam auferre, maxima pars curationis putatur.

38. Vlcera saniosa abstersivis primò, & mundificativis egent, postea autem siccativis, & incarnativis.

39. Sordidis ulceribus tumefactis, exiccativum congruit, absq; mordicatione resolvens.

40. Vlceribus corrosivis, quæ sponte dilatantur, ac profunduntur, stiptica mordicatione carentia debentur exiccativa. Si verò fuerint venenosa, ut lupus & canter, theriacalia debent administrari.

41. In quibuscunq; ulceribus caro est mortua, computrescit, ideò vel ferro secari, vel igne comburi, aut medicinis tolli debet.

42. Magna collectio, præcipuè grossi humoris, tutius in saniem vertitur, quàm evaporatione dissolvitur.

43. Omnia ulcera, præter ea quæ loca humidissima invadunt, diu aperta tenere, utilissimum est. Nullæ verò sunt partes humidiores pudendis, quare ijs primo quoq; tempore occurrendum est.

44. Si tumores super ulcera subitò esse desierint, idq; à tergo incidit, vel distentio nervorum, vel rigor timeri potest. At si à priore parte id evenit, vel lateris acutus dolor, vel insania expectanda est. Interdum etiam in huiusmodi casu, quæ tutissima inter hoc est, profusio alvi sequitur.

45. Vlcus, sive ante, sive in ipso morbo natum est, observari debet. Nam si moriturus est homo, aridum aut livens, aut pallidum ante mortem apparet.

46. Vlcera quæ insanientibus accidunt, pestifera sunt.

47. Vlcera quæ rotunda sunt, difficulter complentur.

48. Quicunq; meatus innaturalis potest absq; timore claudi, si fuerit strictus, & antiquitate suspectus, ob immunditiem coarctatas, elargandus est incisione, vel medicinis, ut à profundo syncera consolidatio procuretur.

49. Quicquid præter naturam additur, numero vel mensura, si tutò fieri queat, totum est auferendum.

50. Oleum non ponitur in ulceribus, nisi sit vehementis stypticitatis & siccitatis, ut est oleum myrtinum & masticinum. Et si omninò ponendum est, non ponitur nisi in ulceribus contusis, aut fortasse ut sedet dolorem.

51. Circum glabra ulcera, maligna.

52. Quibus in corpore pus nullam sui dat significationem, ob crassitudinem sui aut loci non se prodit.

53. Si ulcera annua, aut etiam diuturniora fiant, os abscedere est necesse, & cicatrices cavas fieri.

54. Quæcunq; ulcera medicamentis non curantur,

tur, ferrum curat: quæ verò ferro non curantur, ignis curat: quæ verò igne non curantur, ea existimare oportet immedicabilia.

Digestivis in ulceribus si immodicè usus fueris, ulcus putridum & sordidum evadet. Ideoq; cùm in ulcere bona sanies generata fuerit, digestiva medicamenta omninò sunt auferenda. 55.

Abstergentes medicinæ, si immodicè abstergunt, & nimis acutæ fuerint, ulcus humidius evadit, ob carnem colliquatam. Hìc æger erosionis sensum sentit, & pars ipsa calidior, rubentior, & tumentior apparet. 56.

In ulceribus malignis, ubi color faciei pravus est, ut albus aut plumbeus, aut citrinus, hoc insinuat epar esse vitiatum, & sanguinem esse corruptum, undè ulcus ægrè sanescit. Ergò hìc epar rectificetur confortetur q;. 57.

Nihil mali potest advenire ulceri pus generanti. Suppuratio enim maximum est in ulceribus ad securitatem signum. 58.

Vlcus quando putridum est, tùm acutis abstergentibus, ut unguento Ægyptiaco, aut aqua salita, aut oxymellite mundificetur. 59.

Omnia ulcera requirunt exiccantia, exceptis contusis ulceribus, ibi opus est emollientibus digerentibusq;. 60.

Sanies semper debet abstergi in ulceribus, ne membrum corrumpat. 61.

Vlcere curato æger singulis mensibus phar- 62.

maco, humorem exuperantem respiciente purgetur, ne de novo materia generetur, & in corpore coacervetur, quæ coacervata, ubi per locum consuetum non potest effluere, regurgitat ad epar, & efficit hydropem, aut ad caput, & efficit maniam, aut ad pulmones, & efficit phthisin.

63. Quantò plus in ulcere abundat saniei, ac quantò acutius est pus, tantò sæpius ligatura est solvenda. Idem fiat in tempore calido, sic si putredo aliqua adest.

64. Omne ulcus sive sponte, sive ex accidenti factum fuerit, exiccari desiderat, medicamento non aspero, mordente & acri, præterquàm ubi malignum, & cum putrilagine fuerit.

65. Quando in ulceribus nervosis labra calloſa & dura sunt excindenda, tùm ante incisionem corpus est purgandum, & nucha secundum longitudinem spinæ inungenda confortantibus nervos, ne materiam motam ob dolorem recipiat.

66. In hæmorrhagia ligatura non est solvenda, donec securi simus, sanguinem esse cohibitum.

67. In intemperie calida ligatura sæpius est solvenda, quàm in frigida. Item in vulneribus nervorum, & chordarum per diem bis aut ter solvenda ligatura, & ut sic ulcus sæpius à sanie mundetur, præsertim ubi mordicatio sentiatur.

68. Ex deligatura vehementi sæpè accidit membri corruptio, & mortificatio, quòd per venas & arterias calor, spiritus & sanguis ad membrum perveni-

pervenire non possunt. Calore itaq; extincto, membrum emoritur.

Ex vehementi deligatura, sicut etiam ex ictu & casu accidit, ut humores ad locum ratione doloris attrahantur, avertanturq;, undè obstructio, aut in venis, undè membrorum atrophia, aut in nervis, undè paralysis, aut nervi repletio, undè spasmus. 69.

Quibus occulti cancri adsunt, non curare melius. Curati enim citius intereunt, non curati verò longius vitam trahunt. 70.

In cancro topica constent ex mediocriter digerentibus, cum refrigerantibus quibusdam nonnihil permixtis, & omni rosione careant. Calida enim & digerentia, vehementer tenuiores sanguinis partes digerunt, & humorem magis assant, crassioremq; reddunt. Frigida verò vehementer humorem crassiorem reddunt, & ad resolvendum contumacem. Mordentia autem vitij malignitatem irritant. 71.

Carbunculis nequaquàm vehementer calida & caustica administrentur. Materia enim fit malignior, acutior, acriorq;, præterea cùm natura indè terreatur, spiritus & sanguis ad interiora, scilicet ad cor, confugiunt, undè cor inficitur. 72.

Erysipelas foris intrò converti, malum: intus verò foràs existere, bonum. 73.

Ab ossis nudatione, erysipelas. 74.

Ab erysi-

75. *Ab erysipelate putredo, aut suppuratio, malum.*

III.

De inflammatione.

76. *Communis curandi intentio omnium phlegmonum, materiæ est evacuatio. Eorum verò quæ adhuc fiunt, priusquàm evacues sanguinem, prohibe fluere ad phlegmones augmentum.*

77. *Super calefacti membri excessiva infrigidatio humores coarctando, naturam membri corrumpit.*

78. *Post magnos fervores corporis, nervorum rigor aut distentio.*

79. *In particulis recenter inflammatione tentatis ex opposito: in vetustioribus ex propinquo venæsectio est molienda.*

80. *Quando membrum phlegmone tentatur, tùm hoc neq; est exercitandum, neq; movendum, neq; fricandum, præsertim in principio.*

81. *In omnium inflammationum principijs ab opposita parte sanguinem mittere oportet, at ubi affectus diutius perduraverit, tùm maximè ab eodem affecto membro, si fieri potest, sin minus, saltem à propinquis sanguis mittatur.*

IIII.

De apostematibus.

Humorum

Humorum acuitas, aut ipsorum gravitas, sive virtutis expulsivæ, aut mandantium membrorum fortitudo, aut suscipientium debilitas, meatuumq; nimia apertio, sive succorum copia, frequenter in membris causant apostemata. 82.

Apostemata in nobilibus membris, & cordi vicinis facta, nusquàm fiunt sine febri. 83.

Si in magno abscessu multum puris coit, simul id omne effudisse mortiferum est. 84.

Quibus speratur abscessum futurum ad articulos, liberat ab hoc abscessu, urina multa, crassa & alba facta, qualis in laboriosis febribus, quarto die quibusdam incipit fieri. Si verò etiam ex naribus fluxerit sanguis, brevi admodùm solutio fit. 85.

Absq; cibi tenuitate nunquàm humoralis collectio commodè resolvetur. 86.

Multa parit incommoda, tardare apertionem sanioſæ collectionis. 87.

Cavendum est, ne abscessus summa cute in convalescentibus erumpens, medicamento ad viscera reprimatur: sed ut aliqua ratione discussum magis ac magis expellatur, manibus, pedibusq; innitendum. 88.

Dum pus fit, dolores ac febres accidunt magis, quàm confecto. 89.

In principio apostematum, quando materia est multa & in fluxu, tùm materia antecedens est imminuenda, ut sic apostematis augmentum inhibeatur. 90.

hibeatur. Quia in principio materia est obsequens minorativo medicamento, eò quòd sit in fluxu & motu.

91. Quando venenosum apostema aliquo in membro est obortum, ut carbunculus, antrax, aut membri sideratio, & corruptio, hic extrinsecùs, cordi, & intrinsecùs, quæ cor confortent, ac defendant, ne à venenosis vaporibus, in loco affecto resolutis, facilè inficiatur, & quæ contra venena faciunt, ut in febri pestilentiali, offerantur. Vapores autem petere cor, constat & ex febri, & cordis tremore, seu saltu, ex syncope & virium debilitate.

92. In principio apostematum, materia semper ad oppositum est revellenda, nisi in morbis pestilentialibus, ubi celeriter materia per partem propinquiorem est expellenda.

93. Quando apostema aliquod aperis, tùm etiam ligatura expulsiva utere, ut sic sanies in effluendo adiuvetur.

94. Quando apostema evanescit, & materia ad interiora recurrit, tùm principalia membra, non tàm extrinsecùs, ut caput oxyrrhodino, cor & epar epithematibus stypticis, quàm intrinsecùs confectionibus confortetur. In loco verò apostematis medicamenta attrahentia, vel cucurbitulæ affigantur. Sic & synapismis, fomentis, fricationibus, lapide corrosivo seu ruptorio, materia foràs evocetur. Idem intelligatur de ulceribus intempestivè curatis.

Si in duritiem convertatur apostema, tùm utere primò mollificantibus, & postea resolutivis, aut utere mollificativis unà cum resolutivis permixtis. 95.

In venenosis abscessibus, ut in carbunculo nequaquàm mera resolventia, & discutientia adhibeantur, ne materia fiat acutior, maligniór, & naturæ magis contraria. Ideò cum resolutivis quædam refrigerantia permisceantur, ut ipsorum caliditas nonnihil hebetetur. In summa componantur emplastra ex ijs, in quibus sit attractio, evaporatio, & digestio cum repressione. 96.

Quando in apostemate oborto in interioribus, ut in pleuritide, &c. venam secas, evacuas, & anodyna administras, & accidentia indè non mitigantur, certum est, apostema tendere ad suppurationem. 97.

Quandoq; ex apostemate duro, melancholicoq; aut scirrhoso fit cancer, cùm scilicet Medicus temerè medicinis utitur resolutivis calidis. Indè enim materia apostematis calefit, acuitur, & uritur. 98.

Resolventia medicamenta immodicè adhibita in apostematibus, materiam subtilem discutiunt, undè scirrhus oritur, aut tophi fiunt, resolutis scilicet partibus subtilioribus, crassis verò partibus relictis. 99.

Apostema

100. Apostema ad suppurationem tendere constat, ex doloris, pulsationis, caloris ac febris incremento.

101. Quæ perfrigerata sunt excalfacere oportet, præter ea, quæ sanguinem profundunt, aut brevi sunt profusura.

V.

De articulorum luxationibus, & fracturis.

102. Quicunq; à nativitate mutili fiunt, plerique ex his curabiles sunt, nisi valdè magna emotio facta fuerit, aut etiam adultis, & præauctis iam pueris contigerit.

103. Articuli excidentes aut luxati, quò plus luxati aut elapsi fuerint, tantò difficiliùs reponuntur: & contrà.

104. Vbi articulorum & ossium discessus diuturnus est, ut reponantur, exigua spes restat, periculi autem multùm. Nam si quis non reponat, stultæ plebeculæ artis expers videbitur: si verò reponat, ægrum propiùs ad mortem, quàm sanitatem perduxerit.

105. Recentes humeri luxationes citiùs incidunt, quàm quis putare possit. Sed & veteres quoq; citò reponuntur, nisi caro in acetabulum deveniat. Veruntamen & ita mihi inveteratam brachij luxationem reponi posse videtur. Quid non enim

enim novit iusta molitio? verùm ne iterum pro consuetudine facilè excidat, periculum est.

Si spina usq; in ventrem internè luxata fuerit, nulla arte aut machina repelli possit, vivis hominibus. Cur igitur hoc scribo, inquis? sanè quia nonnulli putant se hominem ita affectum curasse, spinamq; sua sponte, iterum sanescere nulla repositione indigentem. Quippe ignari multi sunt, & lucro hoc habent, quod ignorant. Persuadent etiam alijs, cùm tamen ipsi pessimè falluntur. 106.

Quibuscunq; spinæ verticula intrò obliquantur, ita ut alia ab alijs multùm distent, lethale signum. Sed si superstites evadant, profluam magis semper habent urinam, & cruribus impotentiores, & torpidiores fiunt. 107.

Ossa circa cubiti flexuram molestiora sunt, quàm quæ circa genu, & difficiliùs reponi possunt. Luxantur quidem minus, quàm illa, verùm difficiliùs reponuntur ac coaptantur: insuperq; magis inflammantur, & callum acquirunt. 108.

Quibus tibiæ ossibus luxatis ac ulcere superinducto, articuli pedum omninò eminent, si verò intrà vergant, sive extrà, tales non reponere melius est. Certò enim morietur homo. 109.

Os pedis luxatum, eadem die, aut postridiè, aut tertio ad summum die reponi debet: Quarto enim recrudescere solet. Post decem verò dies repositum, vix continetur. 110.

Quibus pes solus excesserit, aut cum appen- 111.

dice, nisi rursus incidat, attenuatur progressu temporis, & coxa, & femur, & tibiæ pars luxationi oppositæ.

VI.

De cutis vitijs.

112. Quibus sunt cum ulceribus tumores conspicui, ij non admodum convelluntur, aut insaniunt: Quibus verò repentè evanuerint, siquidem postica parte factum sit, convulsiones & tetani accidunt: si verò à fronte insania, lateris dolor acutus, empyema & dysenteria, si rubecundi fuerint tumores.

113. Tumor apparens in loco aliquo, semper materiam significat.

114. Ruptiones quæ ex dorso ad cubitum descendunt, venæsectio solvit.

115. Post restaurationem fracturæ ossis, fit ut membrum maneat gracile, quod accidit, aut ob indecentem & arctam membri deligaturam, unde membrum suo nutrimento fuit destitutum, aut immodicam resolutivorum administrationem.

116. A sphacelismo ossis abscessus.

117. Quando membrum aliquod incipit virescere, & livescere, tùm certum est ipsum tendere ad corruptionem.

118. Quibuscunq; venter fuerit stypticus, & chymi crudi & acuti multiplicantur in venis, utplurimùm scabie vexantur, & immunditie cutis.

Nonnun-

119. Nonnunquàm secta vena accidit scabies, aut si adest inde augetur. Huius duæ sunt causæ: Prima est, quòd exigua phlebotomia commovet humores, & humorum commetorum aliqua pars ad cutis superficiem delegatur, unde augetur scabies. Altera est; quia per phlebotomiam magna quantitas exuperantis humoris expellitur, qua expulsa natura reliquijs dominatur, & expellit ad exteriora.

120. Licet in cutis defœdationibus ac scabie corpus probè evacuetur, tamen scabies non desinit, huius causa hæc est: quòd cutis & partes subcutaneæ malam intemperiem acquisiverunt, ita ut quicquid ad ipsam pro nutrimento delegatur, corrumpatur. Ideò post purgationes corporis factas adhibenda sunt extrinsecus inunctiones & balnea, ut cutis intemperies sic alteretur emendetur q.

121. Quando in cutis defœdationibus ac scabie, corpore purgato, ac balneis & inunctionibus æger non curatur, signum est multitudinis humorum, & crassitiei eorum. Quare materia de novo digeratur, purgetur, æger inungatur & balneetur, & curabitur.

122. Corpora scabiosa & cacochymica non crassescunt, donec corpus sufficienter sit evacuatum.

123. Quando scabies ex adustis, cholericis & melancholicis humoribus nascitur, & corpus est emaciatum, cholericumq;, tùm nihil est melius quàm corpus impinguare.

124. Quando scabiosi urinam habent laudabilem ac inculpatam, sic ubi & alvi excrementa sunt inculpata, tùm scias corpus esse mundum, & virtutem naturalem robustam. Ideò tùm extrinsecùs hærens scabies convenientibus medicamentis curetur.

125. Confectio Hamech est præstans medicamentum, ubi ulcera & pustulæ in cute apparuerint.

126. Viperarum caro quàm celerrimè ad cutem ac superficiem digeri ac distribui solet. Quare ubi recrementorum copia affuerit, & viæ fuerint obstructæ, minimè tutò viperarum caro exhibetur; sed postea cùm conjecturaverimus humores esse attenuatos, & vias esse dilatatas.

127. In scabie & cutis defœdationibus cucurbitularum usus non admittitur, donec corpus probè perpurgatum sit, quia sanguinem intercutem exhauriunt, evacuantq.

128. In cutis defœdationibus reliquis purgatorijs ac digestivis medicamentis administratis, extrinsecùs primùm fiat balneum, ut sic materia ad superficiem cutis attrahatur, & resolvatur. Deinde unguenta desiccantia & congruentia adhibeantur.

129. Latæ pustulæ non admodum pruriginosæ.

130. Quando in corpore tubercula nascuntur, tùm alvi excrementa, urinas, & vomitum inspicere oportet. Si enim hæc bilioſa apparent, tùm certum est totum corpus vitiosis adhuc humoribus, qui evacuatione indigeant, abundare. Si verò hæc sanis

sanis similia fuerint, tùm palam est, naturam totam superfluitatem ad partes patientes deposuisse, & totum corpus bonos humores habere, ac sine ullo periculo nutriri posse.

131. Medicamenta omnia quæ contra ambustionem ignis administrantur, nequaquàm frigidè administrentur, sed tepidè, ne partes adustæ sic detineantur, ut fumi exhalare non possint.

132. Curatio sanguinis mortificati sub cute, in principio perficitur cum medicinis resolutivis, permixtis cum quibusdam stypticis. Resolutiva enim aperiunt & dilatant orificia venarum, ideò stypticа admiscenda sunt, quæ prohibent ne sanguis è venis exeat. Posteà ubi dolor quieverit, sola discutientia admoveantur.

133. In lepra, ubi materia ad cutem notabiliter est expulsa extra venas, venæsectio detestatur.

APHORISMORVM PRACTICORVM FINIS.

Benevolo Lectori S.

CVM operæ Typographicæ ad finem libri perveniſſent, & pagella vacua relinqueretur: cogitatio non contemnenda incidit, de candidis lectoribus quippiam vno atq; altero verbo admonendis. Nam præter erratorum, quæ vix in ulla officina prorſus evitantur, indicationem, hoc etiam ſcire nonnullorum interfuerit: Phraſin alicubi minus latinam conſultò retentam eſſe, ut ſententia cum verbis, ſuo quæq; authori integra conſtaret. Id quod omnibus ſcripta illorum, unde hoc genus depromptum eſt, replicare volentibus obvium fuerit. Stylum vertere non quidem difficile erat. Sed in rerum graviſsimarum tractatione, hæc quaſi vocum quarundam, ut verbi, deteſtor, patiendi ſignificatione accepti, & ſimilium, catachreſis, quemadmodum etiam novorum, quæ uſu paſsim inoleverunt, tolerantia, non immeritò profeſsionis amplitudini, vel potiùs neceſſariò temporum iniuriæ condonantur. Quam manſuetudinem Galenus ipſe & probat, & ab alijs ſanis requirit. Quare ne hîc quidem aliquid incommodi eventurum inde confidimus. Vale.

Errata ſic corrigenda.

In ſecundo Epigrámmate pro *maiore*, lege *maiorve*. verſu 5.

Pag. 18. Aph. 83. pro *cancrore*, lege *cancrove*.
58. Aph. 13. pro *ſtanguria*, *ſtranguria*.
83. Aph. 11. pro *præſtet*, *perſtet*.
130. Aph. 214. pro *es*, *eos*.
136. Aph. 264. pro *unquam*, *nunquam*.
159. Aph. 412. pro *ſive*, *ſine*.
160. Aph. 418. pro *ſeni*, *ſenio*.
226. Aph. 846. pro *abeſit*, *albeſit*.
247. Aph. 1015. pro *ferulentumq;*, *feculentumq;*.

Leviora lector per ſe emendabit.

519478
KSIĘGARNIA
ANTYKWARIAT
DOM KSIĄŻKI
DOM
C 519478

